



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1494 usque ad annum 1507

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118448**

Liber CXVIII.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67025](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67025)



*Obsequium Papæ celebranti a Galliarum Rege exhibitum.*

HISTORIÆ  
ECCLESIASTICÆ  
LIBER CXVIII.

ALEXANDER VI. PAPA.  
MAXIMILIANUS I. OCCIDENT.  
IMPERATOR.

§. I.

*Galliarum Regi Papam alloquendi  
copia denegata.*

**G**alliarum Rex pompa, ac magnificen-  
tia tanto Principi congrua Romam  
ingressus, nil certius habebat, quam  
quod ipsi Pontificis conspectum subeun-  
*Hist. Eccles. Tom. XXXI.* A di,

*Sæcul. XV.  
A.C. 1494.*

*Violard. in  
vita Innoc.  
VIII.*



Sæcul. XV. di, ac de præfenti rerum statu cum illo  
 A. C. 1495. conferendi copia concederetur; nihilo-  
 minus Alexander non nisi duorum Car-  
 dinalium consortio usus, in arce S. An-  
 geli inclusus permanebat; studiose enim  
 Regis colloquium declinare statuit, ve-  
 ritus, ne a Carolo captus, instituta in  
 eum actione, Papatu dejiceretur;  
 haud enim ignorabat, quod omni ope  
 & opera nuper Gallorum progressibus  
 obstitisset, & data quacunque occasione  
 Carolo molestiam intulisset, demum e-  
 tiam rebus suis non nisi in actu, ac pro-  
 ditione auxilium quæfivisset.

## §. II.

*Rex ab octodecim Cardinalibus ad  
 condemnationem Papæ in-  
 stigatus*

*Guicciard.  
 hist. Ital l. 1.  
 Comm. l. 7.  
 c. 12. pag. 56.*

Cum ergo Regis indignatio adversus  
 Papam apertius erumperet, e vesti-  
 gio duodeviginti Cardinales ab eo defi-  
 ciunt, qui omnes, nescio, an mentis im-  
 becillitate decepti, an forte pari infortu-  
 nio implicari pertimescentes, Carolum  
 Regem sollicitant, ut Papam caperet, at-  
 que adversus eum iudicii acta instrui ju-  
 beret: Hunc in finem Cardinalis S. Pe-  
 tri ad vincula, qui ceteris impotentiori  
 adversus summum Pontificem ira excan-  
 desce-



descebat, concitata voce Regi talia ex-  
posuit: exoptatum adest tempus, quo di-  
gnius Ecclesiae caput praefici potest; ve-  
stra enim Majestas divini Numinis manu  
Romam est deducta, ut alium Ecclesiae  
Christi Vicarium subrogaret, nec temere  
judicamus, a te haud alio ex fine hoc iter  
fuisse susceptum; nam Alexander mo-  
rum pravitate cunctis Christianis invisus,  
nonnisi auri suffragio Papatum extorsit,  
atque unice in id incumbit, ut impensas  
ad aucupandam hanc dignitatem factas  
resarciret, & nequidem fidei sanctitate  
absterritus cum Turcis foedus iniit, at-  
que anteaetæ vitæ poenitentia adeo non  
movetur, ut etiam nothos suos in pro-  
prio Palatio recipere non erubescat, non  
sine gravi ceterorum offensione; quini-  
mo ad ipsos Cardinalium honores quem-  
piam eorum evehere non dubitavit. Nec  
his contentus, etiam post obtentum Pon-  
tificatum vitæ suæ licentia Christianis  
nequitiae exemplum praebuit, tantumque  
Religionem irrisioni infidelium exposuit,  
ut necessitas suaderet, te a remotis re-  
gionibus evocare, ut tanquam primoge-  
nitus Ecclesiae Filius hisce malis reme-  
dium adhiberes, proin in hoc quoque  
Majorum tuorum sequere exempla, qui  
toties Romam ab hostium vexationibus,  
perversisque Pastoribus vindicarunt: Te  
igitur Rex exoramus, ut Ecclesiae op-  
pressæ



Sæcul. XV. A. C. 1495. pressæ subventurus, Patrum Senatam  
 quantocius convocet, nec permittas, ut  
 Apostolica Sedes ab illo usurpetur,  
 quo magis infensum Gallici nominis  
 hostem tota Italia omnibus retro sæculis  
 ignorabat; præcipue cum nullum certius  
 expugnandi Neapolis regni medium præ-  
 fto sit, quam si Alexander sede sua pel-  
 latur.

## §. III.

*Postulata Regis de arce S. Angeli  
 sibi tradenda.*

*Comm. 1. 7.  
 c. 12.*

*Spond. ad  
 hunc ann.  
 num. 1.  
 Guicciard.  
 lib. 1.*

**H**aud obstabat hæc Cardinalis decla-  
 matio, quominus Briffonetus Pur-  
 puræ promisso captus, tam dextre Re-  
 gis animum inclinaret, ut Carolus aliun-  
 de persuasus, improba, nimisque violen-  
 ta esse Cardinalis S. Petri consilia, non  
 modo tentata adversus Papam cetero-  
 rum Cardinalium molimina rejiceret, sed  
 etiam longe mitius deinceps Alexan-  
 drum haberet. Nihilominus Papam  
 sollicitat, ut S. Angeli arcem Gallis  
 traderet; eo autem renuente, Rex tor-  
 menta bellica ad quassandam arcem jam  
 secundo adduci jussit, quamvis ea altera  
 itidem vice reducere præciperet, eoquod  
 ad extrema descendere horreret, atque  
 ad vim Pontifici inferendam nullatenus  
 propensus esset: potissimum vero id ea ex  
 causa



caussa factum, quod in secretiori Regis Sæcul. XV.  
 Senatu illi tam numero, quam potentia A C. 1495.  
 prævalerent, quos Alexander donis sibi  
 conciliaverat: quare concordiae viam  
 amplecti sancitum est, postquam ad Pon-  
 tificem ablegati fuissent Fuxus, Brixien-  
 sis, Ligniacensis, Gianus, & Joannes de  
 Reli nominatus Andegavensis Episcopus  
 qui Carolo a confessionibus erat. Tan-  
 dem post repetitas consultationes pax u-  
 trinque firmata, cujus conditiones im-  
 præsentiarum adducimus.

## §. IV.

*Paſſa Papam inter & Franciæ  
 Regem.*

Ita demum inter eos foedus ictum est. Guicc. ibid.  
 I. Ad reddendam Italiæ pacem Pon- Comm. l. cit.  
 tificem firmam cum Rege fovebit amici-  
 tiam. II. Tradet in securitatis fidem ur-  
 bes quatuor, Terracinam, Civitatem ve-  
 terem, Viterbium, & Spoletum; quæ  
 tamen posterior urbs licet promissa, nun-  
 quam tamen Regi tradita est, Viterbien-  
 sis vero jam antea ejus potestati subjecta  
 erat. III. Reliquis, quæ Pontifici pa-  
 rent, urbibus Rectores Regi acceptos  
 ille præficiet. IV. Cæsar Borgia Car-  
 dinalis, nothus Papæ filius specietenus  
 quidem, ut Regi obsequium præstet, re-  
 autem ipsa, ut Pontificiæ fidei ob-  
 ses



Sæcul. XV. ses (\*) Regem comitabitur. V. Tam  
 A.C. 1495. Cardinalibus quam Proceribus, intra Se-  
 dis Apostolicæ territorium existentibus,  
 qui Regis partes sectati fuere, cunctæ  
 offensiones remittentur. VI. Rex, quan-  
 do Neapoli excefferit, infra quatuorde-  
 cim dies summo Pontifici omnes urbes  
 restituet, excepta Civitate veteri: Ostiam  
 vero Papa Cardinali S. Petri ad vincula  
 reddet, eidemque Legationem Avenio-  
 nensem concedet. VII. Tandem Rex  
 Pontifici filialis obedientiæ fidem præ-  
 stabit.

## §. V.

*Zizimus a Papa Regi concessus.*

*Bosius hist.*  
*Ord. S. Joa.*  
*Jerusol.* Alia pactio, quam Rex omnibus votis  
 expetebat, in eo sita erat, ut Zizimus,  
 qui cum fratre suo Bajazethe II. de im-  
 perio contendebat, hucusque Pontificis  
 custodiæ commissus, Gallo ad expugnatio-  
 nem Constantinopolitanam, quam Rex mo-  
 liebatur, traderetur. Alexander repulsam  
 dare vix ausus, erecto desuper instrumen-  
 to, adhibitisque publicæ fidei solemnita-  
 tibus Zizimum Carolo consignavit.

## §. VI.

(\*) *Guicciardinus dicit: Specietenus quidem ut*  
*Legatus Apostolicus. Ita nempe Continuator*  
*ex Scriptoribus, quos allegat, pro libitu suo*  
*quæcumque addit, demit, vel commutat.*



## §. VI.

*Zizimus a Papa veneno sublatus  
spargitur.*Sæcul. XV.  
A.C. 1495.

Igitur Zizimus unacum Rege Neapolin  
contendente Roma proficiscitur: Ve-  
rum in ipso itinere ignoto morbo corre-  
ptus, paulo post animam reddidit. Nul-  
li non admirationem movit tam subita-  
neus hujus Principis obitus; quapropter  
sollicite, quid causæ subfuerit, indagatur,  
quamvis nihil vero similis videri pos-  
set, quam hunc Principem continua an-  
xietatum intemperie confectum, præma-  
tura morte ereptum fuisse: non tamen  
deerant, qui Venetos accusarent, quod au-  
ro Turcico corrupti, & Gallorum ar-  
mis territi operam dederint, ut Zizimus  
clam veneno necaretur; communior quo-  
que vulgi opinio ferebat, (\*) ab Ale-  
xandro

(\*) *Equidem plurima, ut inquit Mariana,*  
de Alexandri vita, tum famâ, quæ nulli par-  
cit, tum scripto prodita sunt, an vere, an ex  
invidia, non facile dixerim, nec omnia tamen  
conficta fuisse arbitror, de communi tamen  
hæc fama, qua Alexander Zizimum veneno  
occidisse spargebatur, nec Leunclavius, nec Ray-  
naldus, quos Continuator allegat, ullam men-  
tionem faciunt, id solus Guicciardinus testatur.



Sæcul. XV.

A.C. 1495.

*Raynald. ad  
hunc ann.*

1496 n. 12.

*Guicciard.*

l. 2.

*Leunclav.*

l. 16.

dro Zizimum jam lenta tabe infectum Carolo Regi, cujus utilitati ac gloriæ invadebat, traditum fuisse, ac Bajazethem, ut ad id Pontificem induceret, eidem ingentem pecuniæ summam suppeditasse. Referunt nonnulli, Zizimum suscepto sacro Baptismate, Romæ sub Innocentio VIII. fidei Christianæ nomen dedisse: hanc tamen Mahometicæ superstitionis abjuratiorem alto silentio premunt, qui cuncta hujus Principis fata, vivendique rationem accuratiori calamo descriperunt. Ceterum Filium reliquit Zizimus nomine Amuratem, qui capta Rhodiorum insula a Solimano in carcerem detrusus, demum jugulatus est.

## §. VII.

*quantæ autem auctoritatis Scriptor hic sit, satis aperte detexit Joannes Baptista Leoni in suis considerationibus ad calcem Historiæ Guicciardinæ impressis. Unde merito Spondanus ad hunc annum num. 7. observat: Calumnia si hæc sit, Italorum est, qui nihil non contumeliarum in hunc Pontificem uno ore evomere consueverunt. Leunclavius affirmat, hunc a Mustapha Janitorum Bajazethis Principe veneno extinctum fuisse.*



## §. VII.

Sæcul. XV.  
A.C. 1495.*Rex a Pontifice in Ecclesia Vaticana  
exceptus.*

Postquam Alexander hæc concordia<sup>Onuphr. &</sup>  
 pacta cum Carolo Galliarum Rege<sup>Ciacon. ad-</sup>  
 sanxerat, relicta S. Angeli arce ad Vati-<sup>dit. ad</sup>  
 canum Palatium descendit, ubi in Eccle-<sup>Monstrelet.</sup>  
 sia S. Petri Galliarum Regem feria sexta  
 die decima sexta Januarii, servatis de  
 more solemnibus, excepit. Mutuo collo-  
 quio initium dedere in horto, ubi, cum  
 Rex vix ingrederetur, obvium habuit  
 summum Pontificem pluribus Cardinali-  
 bus stipatum, demum Alexander detecto  
 capite Regi osculum dedit, nec tamen  
 Carolus pedem aut manum Papæ deo-  
 sculatus est (\*).

## §. VIII.

(\*) Burchardus in M. S. Arch. Vatic. sign.  
 n. 104. lib. 2. Auctor coævus, testisque oculo  
 rem ita refert: *Rex viso Pontifice genu-  
 flexit bis competenti distantia, cumque Rex  
 pro tertia genuflexione appropinquaret, Papa  
 deposuit biretum suum, occurrit Regi ad ter-  
 tiam genuflexionem ac eum tenuit, ne genufle-  
 xeret, & deosculatus est eum, ambo detectis  
 capitibus erant. Sicque Rex nec pedem, nec  
 manum Papæ deosculatus est? Vide Victorell.  
 in addit. Ciaconii.*



Sæcul. XV.  
A.C. 1495.

§. VIII.

*Guilielmus Briffonetus Cardinalis.*

*Guicciard.*

*l. 1.*

*Comm. l. 7.*

*c. 12.*

*Onuphr. &*

*Ciacon. l. c.*

*Raynald.*

*hoc ann. n. 3.*

*Spond ad*

*hunc ann.*

*num. 1.*

Posthæc ambo simul capita cooperiunt, primisque obsequiis utrinque absolutis, Rex Guilielmum Briffonetum Macloviensem Episcopum promissa decorari purpura supplicat. Id Pontifex haud cunctanter executus est. Ejusdem dignitatis socium Briffoneto adjunctum fuisse Philippum de Lucemburgo Cenomanensem Antistitem, affirmant Guicciardinus, & Comminæus: at Onuphris, & Ciaconius non nisi Macloviensem Episcopum eo tempore, anno autem proximo Cenomanensem Cardinalium Collegio adscriptum fuisse testantur, imo Spondanus refert, hunc non nisi post biennium fuisse hoc honore decoratum, fors autem Papa illo etiam tempore eidem purpuram obtinendi spem fecerat. Ceterum summus Pontifex in suo cubili hisce solemnibus initium dedit, throno suo insidens, penes ipsum autem Rex sedem paulo magis prominentem occupabat. Post hæc Briffonetus, dum a sacrorum rituum Magistro introductus erat, os Pontificis, pedesque deosculatus est, ab eoque galerum Cardinalitium recepit. Referunt Scriptores, quod Pontifex Neo-electo Cardinali, cum ob adeptam



eptam dignitatem gratias ageret, eos Re- Sæcul. XV.  
gi reddendas esse responderit, atque id- A.C. 1495.  
circo Briffonetus mox sese ad Regis Chri-  
stianissimi pedes projecit.

## §. IX.

*Rex Pontifici sacris operanti præ-  
sens, ac filiale obsequium  
professus.*

Interea præfigitur dies undevicesima Ja- Raynald.  
nuarii, qua Carolus VIII. Christi Vi- hoc ann.  
cario filialem obedientiam ritu solemn- num. 4.  
deret: unde præstituto tempore sacro- Albinus de  
rum rituum Magister Regem adiit, eum bello gallico  
de cunctis, quæ in ejusmodi functionibus lib. 6.  
moris essent, edoctrus. His perceptis  
Carolus sacris interfuit, ac demum pran-  
dio se refecit. Eo interim temporis in-  
tervallo Papa sacrum Purpuratorum Se-  
natum convocavit, quem ipse Pontifi-  
cio apparatu insignis accessit, tandemque  
duos Cardinales, pluresque Episcopos  
decrevit, qui Regem, ut adesse vellet,  
monerent: Ergo Carolus medius inter  
illos Senatum accessit, comitantibus  
eum Principibus, præcipuisque aulæ suæ  
Ministris. Adventante Rege, Pontifex  
mitram assumpsit longe pretiosissimam,  
Rexque trina vice Papam profundissima  
corporis inclinatione venerabatur, primo  
quidem ad Senatus introitum, secundo,  
in



Sæcul XV.  
A.C. 1495

in plano ante solium Pontificis, ac denique in folio ante Pontificem, ubi genuflexus pedem, deinde manum Papæ reverenter deosculatus est, eumque Alexander mox manu erectum ad oris osculum recepit. Post hæc Carolo ad sinistram Pontificis stante, Joannes de Gannay primus Parisiensis Parlamenti Præses Papam adiit, & genuflexus hæc exposuit: Rex ad præstandam Sanctitati suæ obedientiam ipse advenit, prius tamen ab ea trinam exorat gratiam, quarum prima eo tendit, ut omnia privilegia ipsi, ejusque Conjugi, ac Delphino concessa, necnon omnia in quodam libro, cujus titulum Gannayus recenserebat, contenta, Auctoritate Apostolica firmarentur. Altera ejus petitio est, ut sanctitas sua Regi jus in Neapolis Regnum confirmet; tertia denique, ut articulum pridie inter eos sancitum aboleat, nullumque declaret, vi cujus Sanctitas sua de restituendo Zizimo fidejussores, atque obsides dare promisit. Pontifex ad primam Regis petitionem respondit, se cuncta confirmare privilegia primo exposita, si tamen usu invaluissent. Ad secundam reposuit, agi de præjudicio alterius, propterea oportere cum Cardinalium consilio hac super re maturius deliberare; se cum his pro viribus suis Caroli votis satisfacere adlaboraturum. Ad tertiam denique



denique dixit, velle se cum ipso Rege, Sæcul. XV.  
A C. 1495.  
consentiente sacro Purpuratorum Collegio, conferre, nec dubitare, quin illi omnino forent consensuri. Hoc responso per Pontificem dato, Rex in hæc verba Alexandrum allocutus est, *Sanctissime Pater, accessi ad præstandam sanctitati suæ obedientiam, deferendumque honorem, quo more eum Prædecessores mei Franciæ Reges præstare consueverunt: his dictis primus Parlamenti Præses adhuc genuflexus surrexit, stansque coram summo Pontifice verba Regis latius extendit, confirmavitque. Papa utrique paucis verbis respondens, Regem ipsum primogenitum filium suum nuncupabat: Post hæc Gannayus denuo surrexit, Papa vero sinistra sua manu Regis dexteram tenens, eundem ad Papale cubiculum deduxit, ubi Pontifex deposito Pontificali ornatu jam in eo erat, ut Regem ad ejus Palatium comitaretur; hunc tamen honorem Carolus deprecabatur, solusque sine ullius Cardinalis comitatu reverfus est.*

Die autem vigesima ejusdem Mensis Januarii S. Sebastiano sacra, Pontifex pro Rege rem divinam solemnè pompa peragere constituit; Carolus huic etiam interesse, prius tamen prandium sumere cupiebat, hinc Alexander uno ferme horæ quadrante Regem præstolabatur; tandem  
vero



Sæcul XV.  
A.C. 1495.

vero hic ad Ecclesiam venit, inermis ac sola Nobilium corona stipatus, sattellitibus suis ante Sacelli fores excubias agentibus. Porro Carolus sellæ haud ornatæ, ac non nisi pulvinari ex textili serico insidens, summo sibi honori ducebat, quod Pontifici sacris operanti assistere, ejusque manibus aquam affundere posset. Hisce solemnibus intererat Fuxus, Montenserius, & Bresciensis: Ligniacensis vero, quem Rex in proprio suo cubili singulis noctibus quiescere jusserat, pro Pontifice manus lavante Pelvim, alius vero mantile tenebat, illudque ad pedem Pontificii solii consistens, ipsi Regi tradidit, demum vero eidem pelvim porrexit, qua etiam accepta Rex proximius, ubi Papa erat, ascendens, stansque coram illo ejusdem manibus aquam affudit, quod idem obsequii genus celebranti Papæ post peractam S. Communionem exhibuit. Denique ad perpetuam geminæ hujus actionis memoriam, quarum utraque luculentum est testimonium, quod præcipuus Christiani orbis Rex de sua in Sedem Apostolicam submissione ediderat, Alexander totam facti seriem in quadam arcis S. Angeli porticu nobili pictura exhiberi præcepit.



§. X.

Sæcul. XV.  
A.C. 1495.*Dubium de titulo Imperatoris Constantinopolitani a Papa Regi concessio.*

Joannes Tillius in suo Chronico, quod Spondanus laudat, factum relatu prorsus dignissimum refert, quamvis illud ceteri Scriptores silentio prætereant: hic ergo recenset, renunciatum fuisse Carolum a Pontifice Imperatorem Constantinopolitanum: qua vero ex causa Alexander id fecerit, Tillius haud memorat. Habemus nos, subjungit Spondanus, præ manibus exemplar publici instrumenti, cujus archetypum reperitur in Archivo Capitolino Romæ, facti anno superiori die sexta Septembris, quo Andreas Palæologus asserens se proximum successorem Imperii Constantinopolitani, utpote filium natu majorem Thomæ fratris Constantini ultimi Imperatoris a Turcis in obsidione urbis cæsi ac sine liberis defuncti, audito, quod Carolus VIII. Rex Francorum in animo haberet Turcam bello impetere, quo alacrius id gloriosi operis susciperet, in ipsum ac Successores ejus Reges Francorum transtulit supradictum Imperium Constantinopolitanum, cessitque donatione inter vivos irrevocabili omnia & singula, quæ ipse haberet in eo, necnon in Trapezuntino, reservato sibi tantummodo

*Tilius in  
Chron Spon.  
ad hunc ann.  
num. 2.*



Sæcul. XV. modo Despotatu iMoreæ seu Peleponesi,  
A. C. 1495. cujus scilicet Andreæ ipsius Pater fuerat  
 olim peculiaris Dominus. Hujus igitur ces-  
 sionis jure, addita Sedis Apostolicæ auctori-  
 tate fuerat Carolus a Pontifice renunciatus  
 Imperator Constantinopolitanus, & qui iter  
 Regis Neapolitanum relegerunt Scriptores,  
 non abs re dixerunt, Regem ingressum esse  
 Neapolim habitu Imperiali, & Cæsarem  
 Augustum salutatum. Verum ad stabilien-  
 dam rem adeo memorabilem plane alla-  
 tis longe certiora desiderantur docu-  
 menta, præcipue ubi apud Auctores  
 coævos altum hac de re silentium habe-  
 tur (\*).

*Addit. ad  
 Monstrelet.  
 Comm. l. 7.  
 cap. 12.*

## §. XI.

*Rex Roma Neapolim profectus.*

*Comm. ibid.* **D**enum Carolus feria quarta die vige-  
 sima octava Januarii Roma profe-  
 ctus est, præmissis belli tormentis, ac  
 potissi-

*cap. 11..*

(\*) Lutherus absque omni verisimilitudi-  
 ne in infami suo libello *adversus Papatum Ro-  
 mæ a Sathana fundatum* edit. anno 1545 ad  
 finem hæc habet: *Papa Leo X. Regi Franci-  
 sco, qui hodie rerum Gallicarum potitur, im-  
 perium Constantinopolitanum dono dabat. Nisi  
 Rex solertior & ingeniosior Papa fuisset, &  
 illius stultitiam contempisset, quos jocos, quos  
 risus ex hoc Constantinopolitano Imperio capti-  
 re potuisset.* Vid. sup. lib. CXVII. §. LXXV. p. 563.



potissima exercitus sui parte : tandem Sæcul. XV. A.C. 1495.  
 Marimontem, ac inde Velifam, quod La Figueio-urn du vo-  
 oppidum est vigesimo circiter ab urbe R. jage de Char-  
 mana lapide distitum, pervenit. Ibi Car- les VIII.  
 dinalis de Borgia nothus Alexandri fi-  
 lius, obses Regi datus clam se subduxit,  
 Romam ad Patrem suum reversus ; for-  
 te Alexander hujus fugam haud ægre  
 ferebat, eoquod filio suo libertati sic re-  
 stituto pacta cum Carolo inita aut ser-  
 vandi aut violandi copiam nactus esset :  
 postquam vero Rex Montfortinum, Mon-  
 temque S. Joannis vi occupaverat, pau-  
 lopost ipse etiam Ferdinandus Alphonfi  
 filius ad primos Gallici exercitus jamjam  
 imminentis rumores San germano nobilif-  
 simo Neapolitani Regni oppido excessit ;  
 nam cum hic avaritia, impietate, ac sævi-  
 tia Patri suo haud dissimilis esset, proin-  
 ille non minus, quam olim Pater ejus  
 odium in se concitasset, factiosi, quo-  
 rum ingens erat numerus, ad omnes  
 Alphonfi jugum excutiendi occasiones  
 semper intenti erant, nunc autem turbi-  
 da hac rerum vicissitudine opportune usi,  
 ad arma undique conclamabant. Jam  
 tota Aprutii Provincia in apertam sedi-  
 tionem erumpit, & Fabricius Colum-  
 na nomine Caroli Regis plures arces oc-  
 cupat, moxque totum regnum terrore,  
 armisque concutitur.



Sæcul. XV.  
A. C. 1495.

§. XII.

*Alphonfi Regis Neapolitani fuga,  
ejus filii coronatio.*

*Guicc. hist.  
Ital. lib. I.*

*Albinus de  
bello Gallico  
lib. 6.*

*Raynald. hoc  
ann. num. 5.*

Interea Rex Neapolitanus filium suum Ferdinandum Roma excessisse percepit, unde cum subditos suos magis ad defectionem, quam ad opem ferendam pronos intelligeret, tanto terrore correptus est, ut is, quamvis rei militaris experientiam, animique sui fortitudinem crebris victoriæ argumentis præsertim in Hydruntina Provincia Turcis erepta antehac testatam fecisset, nihilominus jam totus in eo esset, ut dimisso Sceptro Regnum Ferdinando filio suo cederet, hunc defendendo statui magis idoneum arbitratus: ergo convocatis primæ Nobilitatis viris, suisque amicis, quæ animo volutaret, exponit. Abnuere omnes, ille solus consilii sui adeo tenax extitit, ut & ceteri consentire compellerentur: quare viro nominatissimo Joviano Pontano datur negotium, ut publicas translati regni tabulas dictaret, quibus Alphonfus tam hilari vultu subscripsit, perinde ac si partæ coronæ possessionem adiret. His peractis mox Ferdinandus postera die vigesima tertia Januarii in Ecclesia Cathedrali solemniter Rex inauguratus est, eodemque die per nobiliores urbis plateas,



teas equo vehebatur, ac caput regio Sæcul. XV. A. C. 1495.  
 diademate redimitus, medius inter Fri-  
 dericum de Arragonia ejus Patruum, &  
 Cardinalem Fregosium incedebat, Nea-  
 politanis Proceribus, qui in ejus obse-  
 quo perstiterant, illum comitantibus.  
 Post hæc omnes regni Ordines novo Re-  
 gi fidei Sacramentum exsolvunt, atque  
 in eum supremas regni curas transferunt,  
 consensu adeo unanimi, ut Pater ejus  
 haud amplius vita superstes esse videretur.

## §. XIII.

*Alphonsus Messinam se recipiens  
 moritur.*

Vix absoluta inaugurationis pompa, Comm. l. 7. c. II p. 54.  
 Alphonsus insalutato hospite Neapo- Paul. Jov. lib. 4.  
 li excessit; Gallorum enim metu adactus Guicci. lib. 1.  
 fugæ consilium tam religioso pressit silen-  
 tio, ut soli Joannæ Reginae Novercæ  
 suæ, quæ Regis Catholici soror erat, rem  
 communicasset. Tantum ipse in suo di-  
 scessu pavorem præsefererat, ut ad om-  
 nem strepitum Gallos adesse, eosque si-  
 bi imminere noctu evigilans exclamaret,  
 necnon decidentia arborum folia, imo &  
 lapidum moles, ac obvia quæque terro-  
 rem ejus novis incrementis augerent:  
 Raptim ergo quatuor triremibus exigua  
 supellectili regia oneratis, Marsaram in  
 Sicilia navigat, quod oppidum Castellæ  
 &



Sæc. XV. & Arragoniæ Reges Joannæ Reginae  
A. C. 1495. dono dederant. Inde Meffinam se reci-  
 piens, in cænobio Olivetanorum emis-  
 so religionis voto severissimam ( ut fer-  
 tur ) vitam duxit, ibidemque diurnis  
 æque, ac nocturnis laudibus unacum Re-  
 ligiosis assidue vacavit, magnasque elee-  
 mosynas egentibus impertivit, sicque an-  
 te actæ vitæ piacula pietatis ac virtutum  
 officiis reparavit. Legitur hodiedum in  
 cænaculo Monasterii, ad quod confuge-  
 rat, sequens inscriptio latinis verbis con-  
 cepta: „ Alphonso Arragonio hujus no-  
 „ minis secundo, Regi justissimo, invi-  
 „ ctissimo, ac maxime liberali, in grati  
 „ animi signum pro specialibus ab eo re-  
 „ ceptis beneficiis, atque ad conservan-  
 „ dam memoriam, quod idem Rex, ab-  
 „ dicato regno, cum illis commorari,  
 „ in eadem mensa convivari, ac Dei fa-  
 „ mulis inservire, sacris lectionibus assi-  
 „ due vacans dignatus esset, Religiosi  
 „ Olivetani posuere. „

Nec diu tamen sacro hoc otio frui  
 Alphonso licuit; morbo enim calculi,  
 ac superveniente cutis revulsione conse-  
 ctus, sub vehementissimis doloribus,  
 quos summa patientia pertulit, exeunte  
 hoc anno animam efflavit.



## §. XIV.

Sæcul. XV.  
A.C. 1495.

*Reges Catholici per suum Legatum  
graviter adversus Gallicæ Re-  
gem conquesti.*

De Alphonsi fuga nuncium Rex Caro-  
lus eodem tempore, quo Roma pro-  
ficiscebatur, accepit, eodemque momen-  
to Cardinales Carolo addicti urbem de-  
seruerunt, eo quod Rege absente Papæ  
indignationem vererentur. Vix Veltrias  
Rex pervenit, cum Antonius de Fonse-  
ca Regum Catholicorum Orator, quæsi-  
to amicitiam tollendi obtentu, nomine  
Ferdinandi ac Isabellæ graviter quereba-  
tur, quod Galli totius Italiæ imperium  
affectarent, his præmissis idem Regi sig-  
nificabat, quod Ferdinandus, atque Isa-  
bella pacti post redditam Ceretaniam ac  
Ruscinonem in fide soluti essent; quam-  
vis enim Regi spondissent, se in diffi-  
dia Gallos inter & Nothum Arragonium  
de Neapolis regno contendentes nequa-  
quam se ingessuros: eam tamen conditio-  
nem ab ipsis appositam dicebant, ne Gal-  
li jura gentium violarent; cum vero præ-  
fatum regnum, quamvis ex propria liti-  
gantium confessione beneficiarium, ac  
supremus illius Princeps Papa esset, il-  
lud tamen Rex Christianissimus non mo-  
do sine Pontificis consensu invaserit, sed

*La Vigne  
Journal du  
Voiage de  
Charl. VIII.  
Marian hist.  
Hisp. lib. 26.  
cap. 7.  
Albinus de  
bello Gall.  
l. 6. p. 130.*



Sæcul. XV. nequidem illius monita audire fuerit dignatus, hinc nec ipse etiam ægre ferat, quod Rex Catholicus foederato suo auxilium suppeditet, cum Hispaniæ Regem minime lateret, Gallos occupata Neapoli haud contentos fore, eoque Florentinorum urbes, ac Sedis Apostolicæ ditiones jamjam armis suis occupassent, ac ultra mensam Papam captivum tenuissent, nec libertati asseruissent, nisi pacta omnino iniqua firmare compulsam.

## §. XV

*Responsum ad quærelas Oratoris Hispani.*

*Marian. ib.  
lib. 26.*

Querula hæc Fonseca oratio haud parum Galliarum Regi, suisque tum præsentibus stomachum movebat, cum illis res insolens videretur, quod fides publica tam subito ab Hispanis violaretur. Ergo iracundia commoti respondent, quod omnino decuisset, ut Reges Catholici mentem suam aperuissent, priusquam Gallorum exercitus Alpes transiisset, nec expectare debuissent extremum temporis spatium, in quo Galli jamjam expeditionis suæ fructum colligere inciperent. His addebant, aut Hispanos nimium tumidos, aut Gallos (eorum opinione) plurimum ignavos fore.

fi



si ad nudas Legati cujusdam minas Gallos victoriæ cursum inhibituos sperarent; Arragonenses equidem per Sedem Apostolicam in jure Neapolitani Regni firmatos, jam sexaginta & amplius annos sceptrum rotare; Andegavensem tamen familiam avito bis centum annorum jure frui, idque pluribus Pontificibus adeo firmum visum fuisse, ut nec ullus unquam illud in dubium vocasset: ad hæc subjungebant Galli, se occupatas urbes ad aliquod duntaxat tempus retenturos, eas convento tempore restituere velle: tandem, si Reges Catholici rupto foedere Gallis bellum nuntiaturi essent, suo damno edocendos fore, plurimum differre adversus Mauros, quam contra Gallos bellum gerere. Hoc responsum Fonsæca tantopere indignatus est, ut præsentem Rege initi foederis tabulas, quas manu tenebat, dilaceraret: jam Galli in eo erant, ut impotentiore animi motum in Hispano Oratore plecterent, ipsis tamen visum est, ejusmodi minarum contemptum simulare; unde Fonsæca insalutato hospite Veltriis excessit, nec tamen idcirco Franciæ Rex victricia arma sua ulterius protendere destitit.



Sæcul. XV.  
A.C. 1495.

§. XVI.

*Mons S. Joannis & Montfortinum  
a Gallis occupatum.*

*Guiccia. hist.  
Ital. lib. I.*

Ceterum haud temere conjectura affe-  
qui licebat, quod nec Reges Catho-  
lici, nec eorum Orator in hasce minas  
prorupissent, nisi prius cum Alexandro  
Papa, Ludovico, & Ferdinando Alphon-  
si filio foedus eo fine sanxissent, ut viam  
ad occupandum Neapolis regnum Caro-  
lo obstruere, omnibus viribus adlabora-  
rent; ast Gallis ejusmodi perfidiam haud  
suspiciantibus, potior erat sollicitudo, ut  
victoriarum cursum prosequerentur, quam  
tempus perderent in quærendis reme-  
diis adversus malum, quod aut omnino  
fictum credebant, aut adeo infirmum,  
ut eis timorem incutere haud posset.  
Ergo strenue iter prosequuntur, & duo  
munitissima oppida, quæ eos transitu pro-  
hibebant, aggrediuntur; obstabat primo  
Montfortinum Jacobo de Comitibus Prin-  
cipi Romano subditum, illudque adeo  
munitum, ut sustinendæ sex mensium  
obsidioni par esse censeretur, nihilomi-  
nus illius præsidarii post octo horarum  
expugnationem deditionem fecere, ca-  
ptis tribus Jacobi filiis: demum Galli  
Montem S. Joannis adoriuntur, quod  
oppidum necdum evolutis viginti qua-  
tuor



tuor horis tormentorum vi penitus ever-  
sum, victorum direptioni expositum, fer-  
ro, ac incendio devastatum est, ut hoc  
crudelitatis rudimento reliquæ urbes per-  
territæ adventantibus Gallorum copiis  
resistere haud audent, nec hoc consi-  
lium eventus fefellit; unde Galli nemine  
obsistente Ferdinandum tuto aggredi po-  
terant.

Sæcul. XV.  
A. C. 1495.

§. XVII.

*Regis Neapolitani copiarum, adventan-  
tibus Gallis, in fugam actarum.*

Ferdinandus, ut adventantem Gallorum  
exercitum exciperet, quinquaginta  
Equitum Legionibus, ac peditum sex mil-  
libus, selectæ militiæ viris instructus, in  
oppido S. Germani longe munitissimo con-  
sedit. Jam primum Gallici exercitus ag-  
men admovit Ludovicus Armeniacensis,  
Guisiæ Comes, qui eo die his copiis præ-  
erat, relicto postmodum imperio Duci de *Guiche.*  
Nemosio: ast Neapolitani ad primum  
Gallici agminis conspectum una omnes  
præcipiti fuga dilabuntur, tantoque nu-  
mero signa deserunt, ut Ferdinandus,  
ne solus hostium furori pateret, ipse  
quoque fugientes sequi compelleretur.  
Tam fatali casu quiscunque alius Prin-  
ceps ætate adeo juvenis facile animo de-  
jectus fuisset, Ferdinandus vero in ob-  
jurganda Ducum suorum ignavia, aut  
mili-

B 5



Sæcul. XV.  
A.C. 1495.

militum perfidia minime distentus, pri-  
mas eo curas intendit, ut dispersas su-  
as legiones ad signa revocaret, valuit-  
que conatus; vix enim centum, qui de-  
erant, recensebantur: cum autem opti-  
me prospiceret, se inconsideratæ teme-  
ritatis notam incursum, si hasce co-  
pias in castris recens erectis positas ob-  
viis hostium insultibus opponeret, hinc  
providit eas Capuæ, Neapoli, & Caje-  
tæ inclusit; has quippe solas arces pro-  
pugnare decrevit, ceteris omnibus ad su-  
stinendos Gallorum impetus minus ido-  
neis: sperabat enim, quod tres hasce  
urbes abs dubio tueri posset, donec pe-  
nitius edoceret de foederis progressu,  
quod in ejus auxilium inter Pontificem,  
Imperatorem, Reges Catholicos, Vene-  
tos, & Ludovicum Sfortiam sanciebatur.  
Interea nuncium accepit Ferdinandus,  
quo accurate certior factus est de nume-  
ro, ac tempore, infra quod copiarum ad  
opem ferendam designatarum penitus instru-  
ctæ essent; unde ducto calculo Capuam  
hostium furorem tamdiu elusuram crede-  
bat, donec hæ suppetiarum opportune  
adventantes ad solvendam urbis obsidio-  
nem Gallos compellere possent.

§. XVIII.



## §. XVIII.

Sæcul. XV.

A.C. 1495.

*Exortis Neapoli tumultibus Ferdinandus Capuam relinquere coactus.*

Verum amplas hasce spes adversi casus iniquitas disjecit; Ferdinandus enim Capuæ, ubi agebat, a Regina eius Coniuge Neapoli inclusa datis literis edocetur, Neapolitanos accepto nuncio, quod Galli oppidum S. Germani nullo obsistente occupassent, unoque hiatu totum regnum se absorpturos jactitarent, seditionem meditari, ac eos cunctas Judæorum domos jamjam deprædatos, reliquis quoque eandem, ac proximam direptionem illaturos, nisi sua præsentia populum in officio contineret. Re comperta Rex Neapolitanus remota omni cunctatione Capua excessit, urbisque imperium Jacobo Trivulcio reliquit, postera die se rediturum pollicitus. Verum Ferdinando vix urbem egresso, Trivulcius securitatis literas a Carolo Rege efflagitat, ut libere eum adire, ac cum eo conferre possit. Annuit Rex, & Trivulcius cum eo collocutus non modo urbem ei tradere, falvis tamen civium privilegiis, necnon præsidiariis ad Regis signa adscriptis, sed etiam ipsum Ferdi-

nan-



Sæcul. XV. nandum eo inclinare pollicetur, ut ipse  
 A C 1495. ad ejus castra descendat, dummodo il-  
 lum regio honore dignari vellet.

## §. XIX.

*Capua a Trivulcio Galliarum Regi  
tradita.*

*Albinus de  
 bello gall.  
 lib. 6.*

Rex conditionem lætus acceptat, fi-  
 demque Trivulcio facit, se lubenti  
 animo, quæ in favorem civium, ac Ca-  
 puani præsidii postulasset, concessurum,  
 additque, si Ferdinandus omnino sese reg-  
 nō suo abdicare medicaretur, fore, ut  
 in amissi diadematis compensationem in  
 Francia bonis ac dignitatibus opulentissi-  
 me cumulandus esset. Trivulcius am-  
 plitudine promissorum fretus, Capuam  
 revertitur, suosque milites, ut ad Regis  
 Galli signa transirent, sollicitat, ac nullo  
 negotio pertrahit, & quamvis cives ea-  
 dem facilitate ad defectionem haud indu-  
 cere posset, nihilominus comprehensis  
 omnibus deditōnis Leges instruxit. Post  
 hæc Ferdinandus sedato Neapolitanorum  
 tumultu Capuam rediit, nec tamen in  
 urbem receptus est, nisi eo pacto, ut da-  
 to chirographo Neapolis regno sese abdi-  
 caret, ac quadam Franciæ Provincia  
 contentus viveret. Infaustus ille Prin-  
 ceptis percepta hac conditione lacrimis  
 imperare haud poterat, auxitque dolo-  
 rem



rem infelix nuncius, quo percepit, totam suam supellectilem a Capuanis direptam, Virginium ab Urfinis, ac Comitem Petilianum, longe omnium amicorum carissimos ad Carolum Regem desecisse: nil tamen magis vehementi dolore excruciatum Ferdinandi animum, quam Trivulcii perfidia, quem ad tantum scelus projectum fovere animum, nunquam credidisset: Tot ergo molestissimarum cogitationum concursu tantopere obrutus, atque invasus opprimebatur, ut hinc complurium proditorum metu, illinc proximo Gallorum incursum compulsus, præcipiti fuga, omnique pedum studio Neapolim reverteretur, quamvis probe conscius esset, nec ibi se quieti indulgere posse, donec de Capuanorum fato, ac molimine certior redderetur.

## §. XX.

*Neapolitanorum seditio adversus Ferdinandum Regem.*

Nec inanis erat Ferdinandi timor; vix enim urbem attigerat, cum ei nunciatum esset, a Neapolitanis, & Aver-  
Guicci. hist. Ital. lib. I. sub. fin. Albinus de bello gall. l. I. p. 133.  
 sensibus ad Carolum Regem Legatos fuisse missos, qui eidem obsequium sponderent; præterea civium seditio eo temporis momento, quo urbem ingressus est, recrudit, quam ut sedaret, frustraneo successu



Sæcul. XV.  
A. C. 1495.

successu præcipuos cives convocavit, eisque exposuit, quod armorum societas, quæ haud amplius secreta tenebatur, jamjam sancita foret, necnon certissime, ac brevi, si exiguo duntaxat tempore strenue urbem tuerentur, validæ omnino suppetiæ in eorum auxilium essent accursuræ; post hæc acerbum Patris, avi que sui regimen detestatus, illis pollicitus est, se lenitate ac clementia populi amorem denuo sibi conciliaturum; cum vero cives palam profiterentur, nolle se suaque extremæ Gallorum vi, atque periculo exponere, Ferdinandus tanto, quo subditos imperii severitate coercere posset, militum numero destitutus, nec in alterutra urbis arce securitati suæ satis consultum fore ratus, teste Guicciardino civibus indulgit, ut de concordia cum Galliarum Rege agerent, eosque a fidei sacramento paucis ante diebus sibi præstito absolvit, ac demum clientelæ, atque obsequiis, quæ a subditis suis jure exigere potuisset, ultro cessit, & unacum Joanna sua filia, ac Regina Avi sui olim conjuge triremes, quas in portu ad trajiciendum instructas tenebat, conscendit: ceteras vero naves, quæ ibidem in anchoris hærebant, comburi jussit, ne ab hostibus occuparentur. Denique omnes Proceres, quos ejus Pater, atque Avus in arce quadam custodiæ dari jusserat, ex-



exceptis Rosciano Principe, & Comite Sæcul. XV. A.C. 1495.  
 Popoli, liberos dimisit, ipse vero urbe  
 excedere statuit, navibusque se commisit.

## §. XXI.

*Ferdinandus Ischiam secedens.*

Igitur conscensis tremibus in Ænariam  
 Insulam, quæ Ischia vulgo dicitur, at-  
 que ad oram regni Neapolitani trigesi- Albinus loc. cit.  
 mo ab urbe lapide sita est, secedit, haud  
 parum anxius, an ab arcis Præfecto re-  
 ciperetur; timebat enim, ne forte & ip-  
 se in hac rerum vicissitudine Regi suæ  
 fidei officium denegaret. Nec sane te-  
 meraria erat Ferdinandi suspicio; Præfe-  
 ctus enim nomine *Fustus*, veteranus mi-  
 les, ac amplissimis divitiis potens, cum  
 a Rege Neapolitano illis spoliari verere-  
 tur, eum excipere renuit, nisi solus, aut  
 non nisi uno comite stipatus accederet.  
 Rex, inde maris intemperie agitatus,  
 illinc securitatis necessitate compulsus,  
 non abnuvit conditionem; ast vix arcem  
 ingressus, tantæque perfidiæ indignita-  
 te commotus, proditorem invadit, il-  
 lumque, ut nonnulli referunt Scriptores,  
 gladio jugulat; hujus supplicio territi mi-  
 lites præsidarii Regi suo totius Insulæ  
 possessionem asseruerunt, atque illius ob-  
 sequio sese subjecerunt.

## §. XXII.



Sæc. XV.

A.C. 1495

§. XXII.

*Regis Galli adventus, atque ingressus in urbem.**La Vigne  
journ. du vo-  
iage de Char-  
les VIII.**Guic. hist.  
Ital. lib. 2.*

Itaque Ferdinandus Ischiæ ultiores ar-  
morum Caroli successus quiete præ-  
stolabatur, quos abs dubio prosperos fo-  
re facile præsentiebat: interim Carolus  
Rex Capuam triumphans ingreditur  
die decima octava Februarii, postera ve-  
ro die Aversam contendit, ubi die vi-  
gesima ejusdem mensis Neapolitanos ex-  
cepit Deputatos, qui nunciata Ferdinan-  
di fuga, traditisque urbis clavibus sua  
offerebant obsequia. Hos Carolus haud  
vulgaribus honorum signis auctos dimisit,  
illisque adjunxit Giensem Marescallum,  
aliosque Optimates, quos ipse altera die,  
quæ erat Dominica, vigesima secunda  
Februarii secutus, solemni pompa ur-  
bem ingressus est, ubi inter ingentes po-  
puli plausus, faustasque voces, & cer-  
tantia multitudinis vota, cunctis Regi  
partam urbem aggratulantibus, velut li-  
berator patriæ suscipiebatur. Ubique  
pulsabantur campanæ, tantaque lætitia  
Magistratus civesque eum, perinde ac  
regni hæreditario jure sibi debiti possessio-  
nem accepisset, excipiunt, ac Belli Du-  
ces, necnon milites Gallos omni offi-  
ciorum genere cumulant; nec remissior  
erat



erat lætitia devictorum, qui non minus Sæcul. XV.  
A.C. 1495.  
quam ipsi Victores de Regis adventu triumphabant, ac ut verbo dicam, nulla publici gaudii signa excogitari poterant, quæ Neapolitani juncta cum Gallis opera in usum deducere prætermisissent. Adeo nempe Prædecessorum Regum severitas cunctos incolas depresserat, econtra vero mitioris regiminis spes erexerat.

## §. XXIII.

*Utrumque Neapolis castrum a Rege captum.*

Deerat tamen Regi ad victoriæ summam castrum - novi expugnatio; quoniam alia adhuc arces validis omnino præfidiis munitæ Ferdinando parebant. *Mem. de  
Commin.  
l. 7. c. 14.  
Albinus de  
bello.*  
Has inter castra Ovi præerat Fridericus Ferdinandi Patruus, Marchio autem Piscarius Castrum - novum tuebatur: cum autem ibidem casu pulvis pyrius ignem conciperet, tam horrendus excitabatur fragor, strepitusque, ut Piscarius consilii inops conscensa quadam cymba præcipiti fuga sese periculo subduceret. Eo absente mox milites Itali, qui adhuc in arce erant, dilapsi sunt; unde nonnisi quingenti ex Germanis supererant; verum eorum Dux magis pretiosa colligens, cetera militum suorum prædæ reliquit,

*Hist. Eccles. Tom. XXXI.*

C liquit,



Sæcul. XV. liquit, Gallisque arcem occupandi co-  
A.C. 1495. piam dedit. Nec majori impendio ste-  
 tit Castrum Ovi expugnatio; quippe illius  
 Præfectus tam segni manu oppugnan-  
 tium impulsus retudit, ut Galli nullo fer-  
 me negotio obsidionales accessus perficere,  
 arcique exercitum admovere possent. Capto  
 itaque utroque castro Rex totam Neapolis  
 urbem suæ subiecit potestati, ac paulo post  
 ad Metropolis exemplum ceteræ Regni urbes  
 brevi sese Gallorum imperio subdiderunt: dudum  
 tamen in pristini Regis sui fide persiste-  
 runt Brundusiani, Gallipolitani, Reggieneses,  
 Manthiani, & Turpienses. Hi enim, cum  
 hæc urbes in Calabria sitas a Regis sui imperio  
 avulsas, ac Precejo fuisse donatas ægerrime  
 ferrent, constanter in Ferdinandi obsequio  
 permanserunt.

## §. XXIV.

*Neapolitanum Regnum ex ipsa Gallorum culpa amissum.*

*Raynald. ad* Igitur Carolus totum Neapolis regnum  
*ann. 1495.* *spacio quinque mensium subjugavit;*  
*n. 34.* *tot enim a profectioe ab Asten-*  
*Spond. hoc* *si civitate usque ad castrum Ovi ex-*  
*anno num. 5.* *pugnationem intercesserunt. Equidem*  
 adeo rara hæc inauditæ felicitatis rapi-  
 ditas Regem celebrem reddebat: verum  
 is ea, qua parta tueretur, virtute desti-  
 tueba-



tuebatur; quippe Adolefcens erat rerum inexpertus, qui nec inter continuata adspirantis fortunæ lenocinia debitam solertiam, usumque rerum addiscere, nec a suis Consiliariis meliora edoceri poterat; hi enim in id unice intendebant, ut privatis suis deservirent commodis: unde Belloquadræ Senescallus brevi Principatum Nolensem a Rege extorsit, & Briffonetus Cardinalis proxime vacantia regni beneficia proventibus amplissima, spe sua devoraverat. His accessit Caroli victoris morositas, qua Deputatos illarum urbium, quarum claves tradituri advenerant, audire neglexerat; insuper ejus clientes Regum Neapolitanorum divitias inter se partiebantur, ac denique militaris disciplinæ neglectu a belli Præfectis ad milites gregarios passim propagato, tam hi, quam illi officio suo deerant; unde Hydruntina civitas seditionem movit, Turpienses, & Manthiani in Precejum Alegrium ira commoti, Gallorum jugum excusserunt, denique comatus in arcibus Neapolitanis congestus omnino distractus fuit: imo ut paucis dicam, tota Gallorum agendi ratio Neapolitanos induxit, ut revocato priorum Rege seditionem in eos moverent, prout brevi factum, mox videbimus.



Secl. XV.  
A. C. 1495.

§. XXV.

*Galliarum Regis consilium de bello  
Turcis inferendo.*

Comm. l. 7.  
c. 14.

Cum ergo Neapolitana annonæ horrea penitus exhausta essent, Comminæus, quem Rex anno jam præcedenti ad Venetos ablegabat, ingentem denuo com meatus copiam magnis sumptibus collegit, quæ ad expeditionem adversus Turcas destinata esset. Favebat ad hoc bellum temporis rerumque ratio; quippe Bajazethes cum a bellandi cupidine alienum foveret animum, adeo a subditis suis vilipendebatur, ut illum, si forte ab hostibus bello peteretur, armis tueri omnino detrectarent: Præterea Græci libertatis per Mahometem Bajazethis Patrem ablatae adhuc memores, avidè impositum Turcarum jugum excutere anhelabant; quare clam ad Carolum Regem Oratores decernebant, qui omnes Græcos communi opera seditionem moturos pollicebantur, quamprimum Galliarum Rex copias suas in Græciam missurus esset. Eo ex negotio Comminæus Venetiis hærebat, ibique exiguam instruebat classem, cui Constantinus Achajæ Princeps imperaret, eoquod ipse hoc bello rebus suis maxime consultum iri speraret, cum de hæreditario Thessaliæ, & Thra-



Thraciæ jure cum Turcis contenderet. Sæcul. XV.  
A. C. 1495.  
 Porro pro causa belli in Mahometanos movendi obtendebatur Zizimus Bajazethis frater, quem Papa Gallorum Regi tradiderat; ast Ottomanus hujus Principis obitus amplissimas hæc spes evertit, nec infirmam quoque ad dissipanda hæc consilia operam adjiciebant Veneti, nec non summus Pontifex, (\*) qui Sultanum de clandestino, quod Rex cum Constantinopolitanis foveret, commercio edocebant, qua prodicione facta plusquam quinquaginta Christianorum millia tam bonis, quam vita spoliati perierunt, & ipse Achajæ Princeps ægre salutis suæ fuga consulere reliquum habebat; hi enim

(\*) Hujus prodicionis culpam Continuator immerito in Papam conjicit, ac falso Communionem allegat; hic enim nullam de Papa mentionem facit, de Venetis vero hæc habet: *Cum Veneti mortem fratris Imperatoris Turcici rescirent, deliberarunt id Turcis indicare per Secretarium quemdam . . . retulitque mihi ipse Constantinus, quod Veneti indices mississent proximis Turcarum præsidiis, ipsique Imperatori.* Adeo nempe Continuator nullas Pontifici invidiam conciliandi occasiones prætermisit, ut etiam falsa veris adjicere haud erubuerit.



Sæcul. XV. A.C. 1495. nim omnes missis a Carolo copiis, eo-  
que Græciam intrante, plures mariti-  
mas urbes occupandi consilium cepisse  
deprehendebantur (\*).

## §. XXVI.

*Ferdinandus juri in Neapolis regnum  
cedere paratus.*

*Guicci. l. 2.* Equidem dissipati consilii dolorem tem-  
perasset agitata cum Ferdinando Nea-  
polis Rege concordia, si saltem hæc o-  
ptatum habuisset successum, & Neapo-  
litanus regno omnino cessisset, amplum-  
que in Franciæ regno Principatum vicis-  
sim acceptasset: hunc in finem Carolus  
Fride-

---

(\*) Hos rumores de bello Turcis inferen-  
do, non nisi per fraudem a Gallis fuisse spar-  
sos testatur Odoricus Raynaldus, qui ad hunc  
annum num. 10. & 11. hæc habet: *Falsaban-  
tur hæc ad deludendos fideles, qui amplificatam  
Religionem cupiebant, ne illi Gallicis armis si-  
ne impietatis nota sese opponerent, qua arte  
nonnullos Gallos Reges maximo conscientiæ,  
rerumque suarum damno usos, increpitosque a  
Romanis Pontificibus, ac Deum in eos exem-  
plum edidisse vidimus supra. Hanc quoque ar-  
tem accusat in Carolo Comminæus, pollicum-  
que hoc commentum tanquam pessimum damnat.  
Hucusque Raynaldus.*



Friderico Ferdinandi Patruo publicas se-  
 curitatis literas dedit, quibus munitus Sæcul. XV.  
A.C. 1495.  
 Gallum adiret, atque ab eo concordia  
 leges, quas Nepoti suo Rex offerre vel-  
 let, perciperet. Fridericus, quæ Gallia-  
 rum Rex moliebatur, probe gnarus, sup-  
 plex rogabat, ne hanc causam tractandi  
 onere gravaretur, eoquod, inquiebat Fri-  
 dericus, sibi omnino exploratum esset, Fer-  
 dinandum nullo unquam tempore regni  
 sui juribus cessurum, nisi saltem exigua  
 illius Provincia, qualis Calabria esset,  
 beneficiario nomine possidenda ei relin-  
 queretur, ac Regis clientem se profite-  
 ri ipsi liceret; Verumtamen huic condi-  
 tioni Senatus suffragari renuit, cui nimis  
 periculosum videbatur, si quam regni re-  
 cens occupati partem Carolus æmulo  
 suo, qui olim illius Rex dicebatur, con-  
 cederet: Neapolitani quoque comperta  
 Ferdinandi submissione, & Caroli incle-  
 mentia, illius ignaviam incusare, hujus  
 vero acerbitatem abhorreere cæperunt.

## §. XXVII.

*Vana Gallorum molimina adversus  
 Ischiam.*

Galli abjecta pacis spe, unice omnes  
 eo curas intendebant, ut quatuor il-  
 las urbes, quæ adhucdum Ferdinandopa-  
 rebant, in potestatem suam redigerent;

C 4                      unde



Sæcul. XV.  
A.C. 1495. unde Gallica classis admovetur, Ilichiam expugnatura. Imperabat huic classi, Servonius, vicesque agebat Aureliæ Ducis, qui, ut Ludovici consilia exploraret, Astæ hærebat; verum ille expectatione longe minus fortitudinis suæ specimen dederat; econtra vero Marchionis Piscariæ Frater, cui Ferdinandus hujus Insulæ imperium detulerat, arcem omnibus ad strenue repellendos hostium impetus necessariis, summa solertia munitabat, simulque tam provide quaquaversum omnes agros devastari jubebat, ut cujuscunque rei usu Gallis interdicto, hi primo suo adventu non nisi collapsarum ædium ruinas, atque funestas incendii reliquias offenderent: unde annonæ penuria laborantes, re infecta Neapolin reverti cogebantur. Nec benignior ibi fortuna Carolum excipiebat; cum enim ipsemet annona, bellique instrumentis destitutus navium Præfectis, qui Genuæ agebant, negotium daret, ut cum suis triremibus atque navigiis quantocius com meatum adveherent, ab iis non sine magno animi sui dolore percipere debuit, quod naves ejus ab hostibus captæ fuissent. Prima hæc adversantis fortunæ fata extremam Gallici exercitus ruinam in Italia præfagire videbantur. His accessit ad malorum cumulum Pontificis, ac Ludovici foedus, cui



cui sese omnes ferme Italiae Principes Sæcul. XV.  
A.C. 1495.  
prompto animo addicebant, quamvis omnium ultimi sese associaissent Reges Catholicus, & Maximilianus Imperator; cum enim in hoc bello de eorum rebus non ageretur, plus industriæ adhibendum erat, ut his foederis adversus Gallos ineundi necessitas persuaderetur.

## §. XXVIII.

*Galliarum Rex Neapolim secundo ingressus.*

Ceterum Carolus comperta tot Principum foederatorum conspiratione, Guicc. l.cit.  
simul etiam nuncium accepit, quod Venetiis clandestina adversus eum agerentur consilia, atque ipsi quoque Principum Oratores jamjam publice, frequenterque mutuis colloquiis se invicem venerarentur; hinc Gallias repetere, firmum fixumque habuit, aliunde haud ignarus, quod Neapolitani poenitentia ducti Arragonense imperium rursus exoptarent, cum illud haud adeo durum fore, quam Gallorum jugum censerent. Nihilominus Rex, antequam ex Italia discederet, secundo Neapolim intrandi consilium cepit, caussatus, primo ingressui aliquid gloriæ, atque triumphifuisse, eoquod tunc necdum arces Ferdinando eripuisset: Ergo denuo solemniter



Sæcul. XV.  
A.C. 1495.

celebratur ingressus, ac tanta quidem pompa, perinde ac si fortuna rebus Gallicis dextro Marte, omnique felicitatum genere adspirasset: Carolus enim incedebat circum tempora aurea redimitus corona, dextra globum, sinistra sceptrum gerens: per humeros illius superbe defluebat talaris trabea, eaque purpurea, atque pontico vellere obducta; præcipui Regni Optimates umbraculum tenebant, sub quo Rex equo vehebatur, necnon Belloquadrensis Senescallus officio Connestabilis fungebatur, & Monpensierius Comes velut Pro-Rex Carolum præcedebat. Rex hoc apparatu insignis, quinque nobiliora urbis fora perambulabat, ac tandem ad Ecclesiam delatus, Sacramentum exsolvit, quo Neapolitani Reges in coronationis suæ solemniis sese obstringere consueverant. Post hæc adoptavit nomina Imperatoris Augustissimi, necnon Neapolis, Siciliae, & Jerosolymitani Regis, tandemque Neapolitanis, ut ipsi fidei obsequium præstarent, injunxit, quamvis illos paulo post ab ejus obsequio defecturos nosset. Agebatur hic ingressus die duodecima Martii, ob quem Carolus sibi implacabile Maximiliani odium accersiverat; ab illo enim temporis articulo illius animo ea insedit opinio, quod Galliarum Rex Cæsaream coronam ei eripere machinaretur: Unde Maxi-



Maximilianus proposito foederi nomen dare decrevit.

Sæcul. XV.

A.C. 1495.

§. XXIX.

*Fœdera Principum adversus Franciæ Regem.*

Prima hujus foederis consilia jamjam cudebantur, dum Rex Florentiam petebat, illiusque præcipuos Auctores fuisse Venetos, atque Ludovicum jam supra meminimus: postquam vero Augustinus Barbadicus tum Venetorum Dux a Gal- lis Neapolitanas arces expugnatas com- pererat, ulterioris moræ impatiens, fre- quenter consilia habuit cum Episcopo Tridentino, qui præcipue Imperatoris res curabat, necnon cum Laurentio Suaresio Figueroa, & Francisco Bernardino Vice- comite, quorum prior Regum Catholi- corum, alter vero Ludovici Sfortiæ Medio- lanensis Ducis Orator erat; demum re in- ter eos conventa Barbadicus Cossinæum Franciæ Legatum rogari fecit, ut Sena- tum adiret. Eoque præsentè Dux expo- suit, quod Veneti armorum societatem iniissent cum summo Pontifice, Cæsare, Castellæ & Arragoniæ Regibus, & Me- diolanensium Duce, omnesque ad ejus- modi foedus tribus potissimum rationi- bus fuerint permoti, quarum prima erat, ut fidem Catholicam adversus Turcas tueren-

Comm. 1. 7.

c. 14. p. 73. &

seq.

Albinus de

bell. Gall. lib.

6. p. 135.

Mariana

lib. 26. c. 7.

& 9.



Sæcul. XV.  
A. C. 1495.

tuerentur, II, ut Italiæ libertatem con-  
servarent, & III. ut contra Gallorum insul-  
tus horum Principum ditiones propu-  
gnarent, additque, a Venetorum Repu-  
blica Oratorem suum, qui apud Regem  
Francorum Legatione fungeretur, redire  
jussum esse, palam tamen se profiteri, foe-  
deratos hosce Principes nequaquam ad-  
versus Galliarum Regem hostilia moliri  
consilia, sed unice in id intentos esse, ut  
contra ejusdem progressus propriæ suæ  
securitati prospicerent.

§. XXX.

*Secreta & publica fœderis  
pacta.*

*Guicciard.  
ibid. l. 2.*

Hoc fœdus, quod ineunte mense Aprili  
utrinque firmatum est, mox promul-  
gabatur, Gallosque non minori terrore,  
quam cunctos, qui illis minus propensi  
erant, lætitia afficiebat. Ergo optata  
hæc armorum societas sonantibus tubis,  
solemnique pompa proclamatur; alia  
quidem illius pacta omnibus publicaban-  
tur, alia vero religioso premebantur si-  
lentio. Prioribus sancitum: I. Fœdera-  
ti instruant, atque intra Italiam exerci-  
tum quadraginta Equitum, atque octo-  
ginta peditum millibus numerosum a-  
lant. II. Cæsar, ac Castellæ Rex vali-  
dis copiis in Gallias irrumpant, ille qui-  
dem



dem Picardiam & Campaniam, Castella-  
 nus vero Aquitanniam, & Occitaniam  
 invasurus. III. Ferdinandus cum Isa-  
 bella in Siciliæ portibus classem teneant,  
 qua opportuno necessitatis auxilio Gal-  
 los oppugnarent. IV. Omne aurum pro  
 bello Turcico in Hispania collectum, in  
 hujus expeditionis usum impendatur; si  
 autem forte nec illud sufficeret, foedera-  
 ti pro suis quisque viribus residuam pe-  
 cuniæ summam suppeditent. Secretis  
 vero conventum fuisse articulis conji-  
 ciunt nonnulli. I. Imperator & Reges  
 Catholici pro hoc bello præter armato-  
 rum copias, etiam naves atque triremes,  
 foederatorum sumptibus solvendas, atque  
 sustentandas subministrant, ac insuper  
 partas urbes tueantur. II. Venetorum  
 classis maritimas Neapolitani regni ur-  
 bes ad obsequium Ferdinando denuo præ-  
 standum sollicitet, illis autem renuen-  
 tibus bellum inferat. III. Urbes non ni-  
 si armorum violentia ad officium revo-  
 catae pignoris loco cedant Venetis, donec  
 Ferdinandus parem illis sumptibus sum-  
 mam rependisset. IV. Florentinis Pisana  
 urbs reddatur, dummodo hi foederi acce-  
 dant. Verum insuper habitis Ludovici preci-  
 bus, Florentini constanter foederatis jungi  
 detrectabant, eo quod ipsis magis suspecta  
 esset Venetorum, & Mediolanensis Ducis  
 quam Galliarum Regis integritas, a quo  
 fibi

Sæcul. XV.  
 A.C. 1495.



Sæcul. XV. sibi Pisas, & Liburnum restitui sperabant. Ferrariæ quoque Dux ad Florentinorum exemplum foederatorum societati sese addicere renuit.

A.C. 1495.

## §. XXXI.

*Dux Montpenserijs Pro-Rex Neapolis salutatus.*

Comm. l. 8.  
c. 1.

*Mezer. ab-reg chron. to. 4. p. 62. vie de Charles VIII.*

Carolus nova hac rerum vicissitudine turbatus, celeri fuga Gallias repetendi consilium cepit, veritus, ne longioris moræ culpa a foederatis reditu intercludi periclitaretur: Priusquam vero discederet, permagni interfuisset, ut regno præficeretur Vir prudentia ac fortitudine insignis, qui Neapolitanos in officio contineret. Ast tam provida neglecta fuere consilia; Rex enim Neapolis Pro-Regem, regnique Præfectum elegit Gilbertum Montpenserijs Ducem e regia stirpe Borbonia ortum, qui tam gravi oneri omnino impar, Vir quidem minime malus, ut inquit Mezerajus, sed parum prudens erat, suoque genio tam liberaliter indulgebat, ut potissimam diem partem stertendo infumeret, ac ægre admodum ad meridiani solis radios lecti plumas excuteret; quapropter, quamvis morum suorum comitate amorem sibi conciliare posset, nihilominus vita ejus mollitie liquefcens obstabat, quo minus



in honore, quem tanquam Princeps exi- Sæchl. XV.  
gere poterat, a suis haberetur: huic in- A. C. 1495.  
super Carolus ad tuendum Neapolis Re-  
gnum non nisi quatuor armatorum millia  
reliquit, spe fretus, Principes Arrago-  
nensi Familiæ infensos auxilio futuros;  
Verum illi in fide Gallorum non perman-  
serunt. Præterea Rex Albinio Con-  
nestabilis officium, necnon Calabriæ  
Præfecturam, & Georgio de Syllly Ta-  
rentini Principatus regimen credidit;  
Gratianum vero de Guerres natione Vaf-  
conem Aprutiensi Provinciæ præfecit;  
Senescallus quoque Belloquadrensis No-  
læ Principatu haud contentus, insuper  
Cajetæ Gubernator nominatus, auctus-  
que fuit supremi regiæ curiæ Magistri,  
nec non magni Thesaurarii dignitate: E- Daniel hist.  
nimvero, inquit recentior quidam Scri- Franc. to. 5.  
ptor, nimis gravia erant hæc officia pro p. 122.  
tam exigui ingenii Viro.

## §. XXXII.

*Rex Neapoli Romam delatus.*

Hiscæ dignitatibus, officiisque ita inter La Vign.  
suos divisus, Rex die decima nona, journal. du  
aut forte vigesima mensis Maji Neapoli Vojag. de  
profectus est, Romam recta petiturus. Chari. VII.  
Ipsus exercitum suum duxit, in quo ta- Comm. l. 8.  
men nonnisi novem bellatorum millia re- Albinus de  
censebat. Papa, cum reducem Caro- bello Gall. l. 6  
lum



Sæcul. XV.  
A C. 1495.

lum jam dudum pertimesceret, foederatorum opem imploravit, obtinuitque quingentos levis armaturæ equites, peditumque duo millia: cum vero hisce copiis securitati suæ haud satis prospectum esset, primo Urbevetum, dein Perusium aufugit, nonnullis Venetorum copiis stipatus, inde vero Patavium, ac denique, si forte Gallorum agmina eum insequerentur, omnino Venetias contendere statuit: Verum præmatura Pontificis fuga Carolum Regem potius ad miserationem, quam iracundiam commovit; unde ejus copiæ in Romanos ingenti moderatione usæ sunt, nec ulla militaris licentiæ vestigia in Ecclesiæ territorio reliquerunt, si excipias id quod Toscanellæ factum; cum enim ibi cives Gallis, nisi saltem Papæ mandata exhiberent, ingressum negarent, hi admotis scalis irumpebant, ac quasdam civium domos exspoliabant. Dein Gallorum exercitus recto tramite Roma Senas perrexit, ubi Rex undecima Junii die pervenit, eumque Comminæus adiit, ut illum de Venetorum consiliis certiolem redderet. Carolus integros sex dies Senis moratus est, insuperhabito Comminæi hortatu, qui cum Venetos quadraginta millium exercitu instructos Regi transitum prohibituros, haud temere conjiceret, illi auctor fuit, ut omni cunctatione remota discessum



discessum maturaret, idem quoque Caro-  
lo suadentibus Cardinale S. Petri & Tri-  
vulcio.

## §. XXXIII.

*Senenses a Gallorum Rege in fidem  
recepti.*

Nihilominus Rex in hac urbe longio-  
rem trahebat moram, Senensium  
precibus expugnatus, qui adversus fa-  
ctiones, quibus eorum Respublica preme-  
batur, Caroli auxilium implorabant;  
cum autem Monte-novienses devicti  
essent, reliquæ tres factiones satius du-  
xerunt, exteri Principis imperio ultro  
se subicere; unde Regis præsidium  
publice exorabant, clam Ligniacensi Co-  
miti annua viginti aureorum millia pol-  
liciti, si ipse a regia sua Majestate urbis  
regimen impetrare posset. Hac de re  
Regis Senatus maturam habuit delibe-  
rationem, ubi Comminæus Ligniacensis  
sententiæ acriter obstitit, mentemque  
suam his verbis declaravit: prudentiæ  
legibus consonum est, quod ea non ac-  
ceptentur, quæ semel possessa conserva-  
ri nequeunt; quid autem magis certum,  
quam quod Fœderati Gallis vix ex E-  
truria egressis, mox Monte-noviensium  
factioni, ut eorum ope res suas Senis  
restaurent, suppetias oblaturi sint, datam  
D fidem

*Hist. Eccles. Tom. XXXI.*



Sæcul. XV.  
A.C. 1495

fidem eo facilius illis liberaturi, quo magis perspectum habent, quod Carolus Franciæ Rex eo copiarum numero destituatur, qui ad tuendam urbem necessarius foret; quinimo illi etiam præsidarii milites, qui forte imponerentur, certæ cladi exponentur, præcipue vero timendum, ne Cæsar, cum Senensis urbs ejusdem fidei obnoxia sit, hac injuria exulceratus eo perducatur, ut exercitum, quem Fœderatis suppeditare promisit, duplo majorem contra Gallos educat. Ceteris quoque omnibus, qui in Senatu erant, eadem insedit opinio; Carolus tamen solus Ligniacensis voto suffragatus est: unde ea Gallis accessit ignominia, ut in se susciperent cujusdam urbis tutelam, quam tamen nequidem per occiduum tuendo pares erant; quippe Montoviensis factio nuper inde depulsa eodem ferme tempore, quo Rex per urbis portam excefferat, per aliam denuo ingrediebatur.

§. XXXIV.

*Florentini urbes suas sibi restitui  
postulantes.*

*Guicc.  
hist. Ital.  
lib. 2.*

In eodem Senatu agitabatur Florentinorum causa; hi enim Legatos ad Regem decernebant, qui urbes Regi olim transeunti traditas restitui postularent, polliceri-



polliciti, se Regi duros numeratæ pecuniae centum aureorum millia, ac præter trecentos, & amplius Lancearios, Ductore Francisco Secco, Viro militari fama spectatissimo, etiam suppeditatos duo millia peditum, qui Regem Astam usque comitarentur, denique si foederati Gallis transitum inhibere attentarent, se cum illis dimicatos spondent. Carolus Comminæum, ut cum Florentinis hac super re conferret, unacum ceteris designat; ille vero cum ad Gallorum res plurimum valere cognosceret, ut Seresana, Petra-sancta, & arx Liburnia, donec concordiae pacta plene effectui data essent, Francorum potestati subessent, hinc consilium hocce suum Florentinis exposuit, qui Pisas recuperandi immodico stimulatî desiderio, ad petitum tempus tres illas urbes Gallis haud ægre concesserant. His pactis nil magis proficuum Caroli rebus accidere potuisset; quamvis enim Veneti exercitum quadraginta armatorum millium contraxissent, atque Imperator triginta suorum millia adduxisset, nihilominus utrique huic exercitui præsidarii milites ex hisce urbibus, quæ Florentinis restitui debebant, educti opponi debuissent, junctisque agminibus, quæ Florentini promiserant, Gallorum exercitus duplo major evasisset: Præterea licet Franciæ Rex

Sæcul. XV.

A.C. 1495.



Sæcul. XV.  
A. C. 1495.

*La Vigne  
journ. du  
Vojag. de  
Charles  
VIII.*

ob pecuniarum penuriam Helvetiis stipendia petentibus, ea solvere haud potuerit, pecunia tamen a Florentinis oblata ad sublevandam egestatem abunde suffecisset. Verum Ligniacensis, cum a Rege suprema omnium, quæ Gallico præsidio muniebantur, urbium Præfectura auctus esset, hocque munere spoliari pertimesceret, hæc loca Florentinis haudquaquam restitui tanta animi contentione petiit, eorumque conservationem tanta fiducia pollicitus est, ut Carolus ejusdem votis annueret: Unde Pisani extremo afficiebantur gaudio, ad quorum Urbem Rex, quin Florentiam pertransiret, quinto decimo post die pervenit, omni obsequiorum genere exceptus.

§. XXXV.

*Savonarollæ Oratio ad Regem pro  
Florentinis.*

*Comm. l. 8  
t. 2.*

Porro Cives Regem Pisas ingredientem exorabant, ut eos in fidem suam reciperet; nec id tamen eorum precibus dedit, absterritus rationum momentis, quas percelebris Hieronymus Savonarolla Ordinis FF. Prædicatorum proposuerat; hic enim Boggio-Boncii, Florentinis civibus magis illustribus eum commitantibus Regem adibat, ibidemque orationem habuit, non equidem verbis proli-



Sæcul. XV.  
A.C. 1495.

prolixam, ad expugnandum tamen Regis animum longe efficacissimam. In memoriam revocabat illud promissum, quo Florentinis Rex Pisas reddere tam sui chirographi auctoritate, quam sacra-menti religione pollicitus esset; hinc Regem ad fidem integre servandam hortabatur, renuenti acerbissimas divinæ vindictæ poenas comminatus. Nonnullorum opinio ferebat, Savonarollam tacite alluisse ad mortem Delphini, quem etiam Rex paulopost fati ereptum luxit: Igitur Carolus tam præclari Viri reverentia, ac existimatione permotus, Florentinorum causam defendere distulit, donec Pisas veniret, interea pollicitus, eorum votis satisfactum iri: cum vero eorum Deputati iterum, iterumque exaudiri peterent, omnes Consiliarii in eam abibant sententiam, ut Florentinorum precibus Rex annueret. Unde factum, ut Carolus Pisanos, qui ejus patrocinium exorabant, responso vagis nonnisi verbis concepto dimitteret.

## §. XXXIV.

*Pisani a Rege in fidem recepti.*

Igitur Pisani in ancipiti fluctuantes, in duplici remedio opem quæerunt, nec irritò sane successu; præprimis enim Gallici exercitus amorem sibi conciliare

*Daniel. hist.  
Francia to. 5  
in 4. p. 105.  
Comm. l. 8.  
c. 3.*

D 3

fata-



Sæcul. XV  
A. C. 1495

fatagebant, certatim cunctos quovis officiorum genere cumulantes; demum vero Caroli Regis pedibus sese proolvebant, tanta supplicum frequentia, tantoque submissionis excessu, ut Regis animum ad miserationem commoverent. Quinimo non desunt Scriptores, qui referunt, Nobilissimas urbis Matronas nudis pedibus, ac lugubri habitu incedentes turmatim Regem accessisse, suasque proles manu gestantes flexis genibus ei supplicasse, ut urbis, quæ ejus nomini penitus addicta esset, misereri vellet, nec pateretur, quod illius incolæ rursus Florentinorum imperio ac tyrannidi subjicerentur, utpote a quibus tanquam vilissima haberentur mancipia. Insolito hoc spectaculo non modo Rex, ejusque Proceres, sed ipsi quoque milites commoti supplicantium vices dolebant, unde cum intelligerent, quod Brissonetus Cardinalis, & Gienensis Marefcallus, necnon Gannayus primus Regii Senatus Præses pro Florentinis deprecarentur, mox una omnes cætervatim in horum ædes irruebant, necemque minitabantur, atque illos tanto terrore replebant, ut nullus eorum regii præsidii gratiæ, quam Carolus tandem Pisanis concessit, sese opponere auderet, hinc confestim Etrangius Aureliæ Ducis cliens Pisanæ arcis Præfectus nominabatur.



## §. XXXVII.

Secul. XV.  
A. C. 1495.

*Novarra ab Aurelianensi capta.*

Sextum ac ferme septimum diem Rex *La Vigne*  
Pisis hærebat, cum vero hanc mo- *l. c.*  
ram totus ejus Senatus fortiter dissua- *Comm. l. 8.*  
deret, tandem die vigesima tertia Junii *c. 2.*  
Luccam pervenit, inde Petram sanctam,  
ac demum ad Pontem-tremulum in fini-  
bus Genuensis Reipublicæ situm delatus.  
Interea Rege itineri suo intento Aureliæ  
Dux, qui hucusque Astæ continuo mo-  
rabatur, inde recessit, urbemque Novar-  
riensem totius Mediolanensis Ducatus  
munitissimam civium perfidia cepit; Lu-  
dovicus enim incolas in sua fide conti-  
nere parum sollicitus erat; unde hi Du-  
cis sui severitatem ulturi, conjuratione  
facta, urbem Gallis tradere decernebant.  
Illi ergo Opicinium & Lacciam Oratores  
seligunt, atque Astam ablegant, ut ea,  
quæ unanimi consilio statuissent, Aure-  
liæ Duci significarent. Horum promissis  
Dux faciles præbebat aures, eorumque  
consilia adoptans urbem occupabat,  
insuperhabito manifesto Regis mandato,  
a quo ejus adventum præstolari, ac in-  
tegris copiis suis Fœderatos aggredi jus-  
sus erat, ut interea Rex alia ex parte si-  
bi ad reditum in Gallias viam aperire  
posset. Porro Ludovicus, cum Nova-  
riensem



Sæcul. XV.  
A.C. 1495

riensem urbem esse captam intelligeret, tanto terrore percellebatur, ut ad recuperandam civitatem, atque obtinenda Venetorum auxilia, infima quævis, abjectaque submissionis officia illis exhibere non dubitaret. Mox tamen impetratis copiarum subsidiis suum quoque adjunxit exercitum, missoque ad Aureliæ Ducem foeciali inhibuit, ne arrogaret sibi Mediolanensium Ducis titulum, sed quantocius ultra Alpes recederet, Astamque urbem Galeatio Sanseverinati redderet. Jactabunda hæc Ludovici verba Aurelianensis ea, qua par erat, vilipensione elusit.

## §. XXXVIII.

*Mediolanum occupandi occasio ab Aurelianensi neglecta.*

Hæc dum geruntur, Mediolanenses incolæ clam Aurelianensi significant, se non modo urbem suam, sed ipsum quoque Ludovicum, ejus conjugem, liberosque eidem tradituros. Verum Aurelianensis, aut quod Mediolanensium sinceritati diffideret, aut illos promissa exequendo impares censeret, nullam oblato obsequii rationem habuit, ac proin opportunissimam neglexit occasionem, qua non modo præter Mediolanensem urbem ipsum Ludovicum Ducem sibi subdicere, sed



sed etiam Carolo Regi suum in Franciam Sæcul. XV.  
 reditum tam expeditum reddere, om- A. C. 1495.  
 nemque difficultatem penitus submovere  
 potuisset, quin propterea ex iis, quæ ar-  
 mis parta possidebat, quicquam amitten-  
 di periculum incurrisset: ipse vero cum  
 totus in eo esset, ut Novarrensem ar-  
 cem obsidione cingeret, quam se ex-  
 pugnaturum sperabat, omnium jacturam  
 fecit: quippe Ludovicus, Venetis con-  
 sentientibus, ex Genuensium Statu ex-  
 ercitusum suum revocavit, Galeatio San-  
 severinati, cui summam bellici imperii  
 deferebat, datis literis præcepit, ad Pe-  
 demontii fines copias admoveret, quæ  
 etiam secundo itinere, trajectoque Tici-  
 no flumine Viglebanum pervenerunt. His  
 accesserant ex Venetorum exercitu sex-  
 centi Albanensium pedites, præter mil-  
 le equites, ac duo Germanorum pedi-  
 tum millia: Ludovicus hisce suppetiis  
 auctus, tam subito belli fortunam mu-  
 tabat, ut prope nihil deesset, quin totus  
 Aurelianensis exercitus opprimeretur,  
 statimque Galeatius Sanseverinas Novar-  
 ram urbem obsidione pressit, illamque  
 ad deditionem compulit, eoquod com-  
 meatu haud instructa esset: Unde Caro-  
 li Regis angustiae, ac iter profsequendi,  
 alpesque superandi difficultas haud pa-  
 rum augebantur.



Sæcul. XV.  
A. C. 1495.

§. XXXIX.

*Fœderati mutata itineris ratione a Rege decepti.*

*Comm. lib. 8.  
cap. 4.*

Jamjam Fœderati copias suas contrahunt, Regem transitu interclusuri; hi enim firmiter sibi persuasum habebant, Carolum conscensa classe, quæ Liburnii adventantem præstolabatur, Tolonium inde petiturum, ibique superato Cencruccio Monte per Tari vallem Tortonesum pertingere tentaturum. Unde omnium studia eo vertebantur, ut Regi utrumque aditum occluderent: attamen alia via Carolo supererat, nimirum cervæ-fauces, quas Itali suo idiomate *Il Salto della Cerva*, seu saltum cervæ appellant. Is erat locus adeo transitu difficilis, ut illum adversus copiosissimum exercitum quinquaginta milites facile tueri potuissent, proin si hostis transversam rhedam ad faucium accessus opposuisset, ut scribit Comminæus, ac duo belli tormenta admovisset, totum Gallorum exercitum transitu exclusisset. Accessisset etiam ipsa loci opportunitas; una enim ex parte primævo naturæ beneficio muniebatur. Nihilominus fortuna factum, ut hisce faucibus præsidio destitutis, Gallis non jam cum hoste dimicandum esset, sed eis nonnisi feras in fugam agere incum-



cumberet. Certe nullam tantæ incuriæ excusationem obtendere poterant Mantuæ Marchio, & Comes Cajatsius, quorum prior Venetorum, alter vero Mediolanensium copiis præerat: igitur Galli superato hoc transitu, nullo negotio Pontem-tremulum, quod oppidum Ludovico Sfortiæ parebat, occuparunt, ac demum Apenini juga nullo obsistente transcenderunt.

Sæcul. XV.  
A.C. 1405.

§. XL.

*Genuæ expugnatio a Gallis prætermissa.*

Interea Cardinalis S. Petri ad vincula, *Comm. lib. 8. cum ob implacabile, quo eum Pontifex infectabatur, odium haud tutam in Italia Sedem haberet, Genuæ stabile domicilium figere peroptabat, spe fretus, Papam ibi cum illo hostiliter agere non ausurum. Quapropter Carolo Galliarum Regi proposuit, quod Genuenses, populares suos, concitare vellet ad seditionem contra Mediolani Ducem, qui tum huic Reipublicæ imperabat. In hanc quoque sententiam haud ægre descendebant ab hac ditione proscripti, qui Gallorum studiis addicti, factionis suæ Principes colebant Cardinalem Fregosium, & Objectum de Fliscis; verum ad persuadenda Genuensibus hæc consilia validi exercitus*



Secul. XV.  
A.C. 1495.

citius potentia desiderabatur; & hoc opus, hic labor erat: convocato itaque Senatu, a quo tamen propositio omnino rejecta est, sancitum, si Rex in proximo cum Fœderatis prælio victoriam reportaturus esset, Genuenses ei ultro sua delaturos obsequia, eo autem forte devicto, hanc urbem Gallis nulli commodo fore, hanc in rem observat Commineus; eo loco primam prælii mentionem fuisse factam, seque exin collegisse affirmat, quod Gallorum copiis proxima instet pugna, brevique cum Fœderatis manus essent conferendæ.

Verum Carolus Rex petentibus repulsam dare haud assuetus, ab importunis sollicitationibus Cardinalis S. Petri ad Vincula sese liberare nequiverat; quare ratum habuit, ut recens militia, quæ ipsi paucos ante dies e Gallis submissa fuerat, adjungeretur Legionibus, quas Vitellius pro Gallis in Italia conducebat, eo fine, ut collectus exercitus toto impetu Genuensium urbem adoriretur. Ergo suprema hujus expeditionis cura Brenciensi Comiti demandatur, spe concepta, illum abs dubio quam plurimos adhuc Pedemontanos ad sua signa pertracturum: inferiora autem imperia deferebantur Poligniaci, Ambasiæ, & Bellomontii Comitibus. Hi itaque toto agmine Genuen-



nuensium urbem cingunt; verum cum Ludovicus Seditionem sedare summe intentus, ac Gallorum classis in Rapallensi portu maris tempestate dissipata esset, Regis copiae pedem referre, Astamque repetere cogebantur, non sine frequenti cladis periculo, quod tamen prospere eluctatae sunt, quam felicitatem nulli alteri debebant, nisi mutuae Fliscorum, atque Adorniorum invidiae, qui Gallos insequi neglexerant, veriti, ne alterutro eorum absente alter in aemuli sui commodum potentiorum in urbe factionem sibi conciliaret.

Sæcul. XV.  
A.C. 1495.

## §. XLI.

*Helvetiorum Tumultus apud Pontem-tremulum.*

Ergo Gallorum copiae usque ad Pontem-Tremulum procedentes, oppidum ingrediuntur, opitulante Trivulcii auctoritate, qui illud jam antea captum, abunde annona, ac armorum apparatu instruxerat. Gallis ibidem benigne receptis, Gienfis Marefcallus, qui primum agmen ducebat, unice eo intentus erat, ut juga Apenina superare posset. Ceterum in hac eadem urbe jam olim Helvetii, cum primo itinere eam pertransirent, cum civibus ad rixas veniebant. Litis occasionem præbebat annona, quæ  
i plis

Comm. l. 8.  
cap. 5.



Secul. XV.  
A.C. 1495.

ipsis in dies distribui debebat; cum igitur utrinque contentio efferveret, Helvetiorum nonnulli a civibus trucidabantur, unde illi comilitonum suorum necem ulturi, plusquam ducentos cives occidebant; nunc vero cum redirent, pristinae, qua Neapolim euntes afficiebantur, injuriae memoria in eis recrudescere coeperat, hinc conspecta urbe, mox sopitas iracundiae flammis denuo accendunt, domos exspoliant, ac obvium quemque, qui eis resistere posset, promiscue jugulant; postquam vero tumultuantium crudelitas civium sanguine satiata fuerat, nihilque ultra eorum avaritiam moraretur, jam deprædationibus fessi, urbem comburunt, communique incendio ipsa quoque commeatus bellici horrea absumunt, ac nequidem ullum extinguendis flammis temporis spacium indulgent. Helvetii haud ignari, se hoc immani furore summam Regis indignationem in se concitasse, culpam suam agnoscebant, cumque viarum iniquitate factum esset, ut equi tormenta bellica haud ultra trahere possent, Regem ob id haud parum anxium adeunt, suam operam offerunt, semetipsos plaustris equorum more jungunt, ac tormenta trahunt, atque illa, quæ humeris deferri haud poterant, toto lacertorum nisu, ac trochlearum ministerio in altum extollunt. Ad hoc Helvetio-



vetiorum exemplum Galli gravioris armaturæ milites, singuli globum ferreum portabant, nec ipso Trimollio Comite eadem servitia dedignante, demum impedimentorum plaustra proxime post primum agmen sequebantur, a quo tamen ultima acies tridui intervallo distabat. Verum tamen quo alacrior erat ascensus, eo major erat in descendendo difficultas, quam tamen militum constantia superabat, tanto licet labore, ac sudore, ut Trimollii facies, devicta montis asperitate, Æthiopi haud absimilis videretur.

Sæcul. XV.  
A.C. 1495.

## §. XLII.

*Gallorum exercitus Fornovi.*

Denique primum agmen, cui Giensis Marescallus præerat, armatis non nisi mille quingentis, aut forte sexcentis validum pervenit ad Forum - novum. *Guic. l. 2. Comm. l. 8.*  
Fornovum vulgo dictum, quod est oppidum in Parmensi territorio, novem miliarium intervallo Placentia distitum. Igitur Marescallus confestim hostium castra haud procul inde posita explorari jubet, brevique a suis emissariis edocetur, Foederatorum exercitum militum facile quadraginta millia recensere, ac quosdam captivos enunciaffe, intra tres, aut saltem post quatuor dies totum agmen centum bellatorum millibus auctum iri:  
Nihil

*Vita Alex.  
VI. in tome  
V. Comm.  
p. 484.*



Sæcul. XV.  
A.C. 1495.

Nihilominus tamen Comminæus universum hostium numerum ascendisse testatur nonnisi ad triginta quinque millia, imo Guicciardinus duntaxat ad viginti millia totum exercitum restringit, nimirum bis mille quingentas legiones, quæ complectebantur decem millia Cataphractorum, duo Equitum levis armaturæ millia ex Epirotis seu Albanensibus, quos Stratiotas appellant, composita, ac præterea peditum octo millia. Ut ut res se habuerit, numerus ille longe superior erat Gallorum exercitu, in quo nonnisi octo millia armatorum numerabantur. Unde Giensis Marecallus quicquam adversus hostem tentare desperans, duntaxat omnem com meatum, quo Fornovum instructum erat, secum abduxit, pedemque referens, ad Apenini montis pedes Longobardiam versus castra metatus est, eaque aggeribus, ac fossis adeo dextre munivit, ut exercitus ab hostili impetu a fronte tutus esset, interea ipse adventum Caroli VIII. præstolabatur, qui etiam die quinta Julii Marecalli copiis exercitum suum jungens, recta adversus hostem processit. Rege vix adventante, incollæ cibaria ingenti quidem copia advenerunt, caro tamen admodum pretio vendunt, quæ cum veneno infecta esse, suspicarentur Galli, illis vesci hæsitabant, quapropter panem primo equis porrigunt, qui



quibus vero omnino illaesis, homines quoque abque ullius incommodi periculo, quæ afferebantur, manducabant.

Sæcul. XV.

A.C. 1495.

Carolus Giensis Marescalli copiis auctus, Foederatorum castra ad littora torrentis Tarri posita, eaque tam fortiter muaita conspexit, ut illa vi perrumpere, Gallorum virtus desperaret; eo enim rei discrimen deductum erat, ut regium exercitum sola tormentorum emissionem contere, in Foederatorum arbitrio esset. Tunc primum Rex cognovit totam periculi summam, cui sese exposuerat; quare in his rerum angustiis ad pacis consilia confugiens, fecialem ablegavit ad Mantuæ Marchionem, qui præcipuus erat Veneti exercitus ductor, alium etiam Caduceatorem misit ad Cajatium Comitem, Ludovici clientem in paucis carum, qui omnes Regi liberum iter concedi efflagitarent: præterea jussu Caroli Cominæus literas dedit ad ambos Venetæ Reipublicæ Rectores, quos *Provisores* vocant, impense rogans, ut colloquii copia Regi daretur; ast hi illum nequidem responso dignati sunt, hacque Caroli petitione foederati magis stimulati, prælium conferere omnino decreverunt, spe freti, Gallorum exercitum nullo negotio profligatum iri; unde Itali magna roboris fiducia decepti, relictis protinus

Hist. Eccles. Tom. XXXI.

E mu-



Sæcul. XV. A. C. 1495. munitionibus torrentem Tarrum traji-  
 ciunt, moxque Marchio Mantuanus co-  
 pias suas in novem agmina partitur, at-  
 que Itali sexcentos Albanenses ex acie  
 subducunt, qui continenti prælio Gallos  
 tota, quæ pugnam præcedebat, nocte  
 lacefferent, eosque subtracto quiescendi  
 spacio ad sustinendos posteræ diei labo-  
 res minus idoneos redderent, nec inani  
 sane consilio; nam etsi hoc artificio haud  
 usi fuissent Itali, coeli tamen inclementia  
 Gallorum vires fregisset, quia præter di-  
 sturbatum procellis ac imbribus aerem,  
 & furentium Austrorum violentiam, eti-  
 am nubes creberrimo ruptæ tonitru,  
 tam horrendis fragoribus aures verbera-  
 bant, ut nullam prorsus quiescendi liber-  
 tatem tota nocte Gallis concederent, cun-  
 ctis ex hac ipsa tempestatis injuria sibi  
 quævis adversa præfagientibus.

## §. XLIII.

*Gallorum copiarum in aciem collocatarum.*

*Comm. l. 8.  
 cap. 6.*

Tandem exacta continuos inter nimbos,  
 atque turbines nocte, lux matutina  
 coelo, nubibusque silentium, & concor-  
 diam restituit; unde Rex feria secunda  
 die sexta Julii versus septimam antelucani  
 temporis horam copias suas in aciem  
 distribuit, insidens generoso fusci coloris  
 equo, qui altero oculo privatus vulgo  
*Saba-*



*Sabaudus* dicebatur, eo quod illum Rex a Sæcul. XV.  
A.C. 1495.  
Carolo Sabaudiaë Duce, cum Taurinum peteret, dono accepisset: ergo Rex, ex sententia suorum Belliducum longa militia effæeratorum curas, exiguumque, qui ei supererat exercitum ita partitur, ut selectiores copias, quarum mediam tamen partem jamjam amiserat, in primam aciem collocaret, cumque haud dubium esset, fæderatos incæpti certaminis gloriam Mediolanensis Ducis legionibus delaturos, Carolus primo agminum Cataphractos Trivulcio ductore adjunxit, qui tamen ferme omnes natione Mediolanenses erant, olim a Ludovico patria expulsi, bonisque spoliati: mediam vero aciem Rex ipse duxit, quem septem voluntariæ militiæ adscripti, viri ad pericula fortes stipabant, ac de Regis salute solliciti, iisdem omnino armis, vestibus, ac insignibus, quibus Rex induebatur, sese ornabant, eo consilio, ut regiæ personæ insidiantium studia fallerent, ac discriminis, cui Carolus sese exponeret, partem in semetipsum derivarent: denique Rex Trimollionum ultimi agminis imperium deferre decreverat, cujus tamen precibus datum est, ut ei ad Regis sui latus equestre agmen ducere liceret: Carolum vero sequebantur, Ligniacensis & Guisiensis Comites, Nothus Borbonius, Piennes, Bonnevalius,



Sæcul. XV. lius, Monnerones, & Genouillacus: po-  
 A.C. 1495. fremæ autem aciei præerat Joannes de  
 Fuxo, Vice - comes Narbonensis, atque  
 Aureliæ Ducis levir. Tandem Odeto  
 Centurioni cura demandata erat impedi-  
 mentorum, quæ tamen ad sinistram col-  
 locata toto prælii tempore, nemine ex-  
 cubias agente, neglecta jacebant, haud  
 exiguo hujus incuriæ emolumento; in-  
 de enim victoriæ data est occasio.

## §. XLIV.

*Fœderati exercitus Ordo.*

Fœderatorum copiæ trans Tarrum ca-  
 stra ponebant, ac præprimis in Gal-  
 los tres distinctas acies movebant, qua-  
 rum ultima totum Gallorum exercitum  
 numero æquabat. Ergo primum agmen,  
 ex Albanensibus conflatum annum Tar-  
 rum trajicit, quos sequebatur Marchio  
 Mantuanus, qui præter Albanenses, at-  
 que Italos quingentis peditibus auctos,  
 validam sexcentorum cataphractorum  
 turmam medius inter ultimum agmen,  
 & Fornovum duxit, ac postremam ho-  
 stium aciem aggredi constituit, dum in-  
 terea Cajatsius Comes cum quadringentis  
 equitibus trajecit, ac cum duobus peditum  
 millibus eundem torrentem ferme primum  
 Gallorum agmen pertransiit, ea tamen  
 cautela provide adhibita, ut ex altera  
 fluyii



fluvii parte ducentorum cataphractorum manus ad subitos belli casus seposita permaneret, eique Hannibal Bentivolius praesesset; praeterea Marchio Mantuanus ad eandem Tarri regionem Antonium de Montefeltro Urbinensis Ducis Nothum cum alia equitum legione properare iussit.

Saecul. XV.  
A. C. 1495.

## §. XLV.

*Fornoviense praelium.*

His ita dispositis, Marchio Mantuanus in ultimum Gallorum agmen copias suas duxit; hi quoque signa in hostem convertunt, primosque foederatorum impetus, in victo robore excipiunt, ac fortiter utrinque dimicatur, aequata pene victoriae gloria, sed tandem nihil propius videbatur esse, quam ut Carolus Rex, & Joannes Fuxus hostium potentiae succumberent; cum enim improvide numerosae foederatorum turmae Tarrum trajiciendi libertatem, & damna ex fluminis transitu illis illata reparandi spacium indulgerent, adeo mutata erat praelii facies, ut nec infracta Gallorum pertinacia ultra obstare posset, quo minus hostium agmina in mediam aciem prorumperent, jamque Marchio Mantuanus ad vexillum album (\*), ubi Rex praesens aderat, penetraret, ac collatis ferocius signis, longiusque abreptus ad primos usque dimicantium ordines perveniret.

E 3

Præ-



Sæcul. XV.

A. G. 1495.

Comm. l. 8.

c. 6. p. 114.

Præterea Rudolphus Gonzaga tam prope Carolo impendebat, ut vigesimo duntaxat passu a Rege semotus, Notum Borbonium captivum abstraheret, ipsique Carolo proximum æqualis infortunii immineret periculum: ast hanc ipsam hostium audaciam Galli multo vulnere, gravique clade plecebant; hi enim aciem instaurant, & hostilem secundi agminis impetum tam invicta fortitudine, ac constantia sustinent, ut per medias Mantuani Marchionis copias opportune percurrerent, tantamque stragem ederent, ut Marchio suos haud amplius colligere posset; Rudolphus etiam Gonzaga, cum cassidis operculum demitteret, imperia daturus, derepente in facie hastilis ictu vulneratur, ac penes Marchionem exanimis corruit, qui & ipse captus fuisset, nisi ejus libertatem duo belli Præfecti proprio sanguine redemissent. Perierunt tamen Rainutius Farnesius capite in duas partes scisso, & Picininus equo suo dejectus, equorumque ungulis protritrus, pariterque sex alii cathaphractorum centuriones natione Itali in prælio occisi fuerunt, quorum infaustæ mortis beneficio

Man-

(\*) Ita prima Gallici equitatus legio in Francia appellari usuevit, eo quod album vexillum præferat, quod eorum idiomate vocatur. LA CORNETTE BLANCHE.



Mantuanus Marchio tandem sibi fugæ Sæcul. XV.  
viam aperuit. A.C. 1495.

## §. XLVI.

*Gallorum victoria.*

Cuncta hæc victoriæ præludia potissimum debebantur intempestivæ prædandi cupidini, qua Albanenses acti, certatim ad Gallici exercitus impedimenta convolabant, cumque ea nullo milite custodita in itinere reperirent, tantam prædæ opportunitatem prehendere intenti, Com. lib. 8. c. 6. p. 112. obvia quævis invadunt, ac quam plurimos currus, mulosque secum abstrahunt. Horum socii, cum ceteros præda onustos conspicerent, relictis signis, protinus in spolia involant; cum vero illi ad firmandos gravioris armaturæ milites, quos Marchio Mantuanus ducebat, destinati essent, tumultuaria horum excursionis prælii ordo plurimum turbabatur. Incessit pariter eadem diripiendi aviditas quoddam equitum agmen, cui Cajatsius Comes præerat, & Albanenses sequentibus; unde Comes horum absentia tantopere perterritus hæsit, ut certamen auspicari renueret, quamvis reliquas tot haberet copias, ut non sine victoriæ spe prælii discrimen experiri potuisset: Interim Galli hanc foederatorum confusionem in rem suam vertunt, atque Italos



Sæcul. XV. Italos gravis armaturæ milites, qui equi-  
 A. C. 1495. tatu leviori muniti haud erant, immani  
 strage profligant, tandemque ipsos quo-  
 que pedites in fugam agunt, & Gallici  
 lixarum, & calorum greges depulso ti-  
 more animum refumentes, hostium lon-  
 ge plures gladio jugularunt, quam ipsi-  
 met veterani milites.

Equidem agmen illud, cui Marchio  
 Mantuanus imperabat, per postremam  
 Gallici exercitus aciem erupit, nihilo-  
 minus tamen Joannes Fuxus tentato al-  
 tero impetu Marchionis copias tantope-  
 rare perturbabat, ut dispersæ ac dissipæ  
 recedere, anemque denuo trajice-  
 re compellerentur, cunque procella in-  
 gens imbrem violentius iterum effunde-  
 ret, & Tarrus amnis profundo nimium  
 alveo vada nusquam aperiret, quam plu-  
 rimi hostium aquis submersi perierunt,  
 longeque plures fugæ iniquitas, quam  
 prælii furor absumpsit. Inter eos, qui  
 flumine hausti obierunt, numerabantur  
 Ascanius Martinengus Centurio, Anto-  
 nius Scarampo, & Vincentius Veronen-  
 sis. Nec Cajatius Comes in hac occa-  
 sione quicquam pro pristina sua militari  
 laude dignum moliebatur; verebatur  
 enim, ne solus hostibus intermixtus re-  
 linqueretur, hinc prælii leges, de qui-  
 bus cum Marchione Mantuano convene-  
 rat,



rat, prætermittēbat; cum enim Giensi Marescallo occurreret, cursum sui agminis inhiberi iussit, ac tertiam, quartamve suorum aciem jamjam profligari conspexit, quin tamen vel pedem moveret, sed Tarrum trajecit, nemine illius fugam remorante.

Sæcul. XV.  
A. C. 1495.

Abs dubio victoriæ summa penes Gallos stetit, nisi eam referendi, aut voluntas, aut dexteritas Giensi Marescallo defuisset; ejus enim imprudentiæ datur, quamvis id Scriptorum nonnulli velut providæ circumspeditionis specimen extollant, quod non modo ipse immotus subsisteret, sed etiam tam Duces sibi subiectos, quam eorum milites, qui victoriæ cursum strenue prosequi anhelabant, auctoritate sua cohibuerit, cujus rei causas obtendebat Marescallus, quod postremæ aciei sors incerta, sibi que haud cognita fuisset, ac præterea cum Regem in periculo vitæ versari cognovisset, copiis suis ejusdem saluti prospicere studuisset, nec inanis erat Marescalli excusatio; quidam enim Itali ex acie propulsati, dispersos denuo colligebant, qui aut reportare victoriam, aut mortem oppetere parati, pugnam restaurabant, in ipsum Regem incurrentes, ac eum unico cubiculario, nomine Ambasio stipatum, aggrediebantur, qui tamen hostium impetus,



Sæcul. XV.  
A C. 1495. petus, qua vi qua arte fortiter repellere, jamjam decreverat, cum suorum auxilio, quod interea præstolabatur, opportune adjutus discrimini eriperetur: cum vero Galli ad ejusmodi pericula sæpius eluctanda, viribus ac numero impares essent, si forte Itali denuo aciem restituere tentarent, idcirco unacum Rege ad postremum agmen sese receperunt.

## §. XLVII.

*Mutua clades.*

*Comm. l. 8.*  
*c. 6. p. 116.*

*Guicci. hist.*  
*Ital. lib. 1.*

Nec tamen æqualis erat utrinque clades; juxta Comminæum enim, qui prælio aderat, e Gallis cecidit nonnisi unus primæ nobilitatis vir, nempe Julianus Burgonovus, qui portæ regiæ custodibus præerat, præter hunc alius quidam Nobilis, ac Scotorum novem ex regiis custodiis, necnon equites in primo agmine pugnantes circiter viginti, & ferme sexaginta, aut octoginta famuli ad sarcinarum custodiam positi occubuerunt, adeo, ut occisorum numerus, juxta Guicciardinum non nisi ducentos, juxta Comminæum vero, centum duntaxat armatos complecteretur. Ex adverso in hostili exercitu pene quatuor millia desiderabantur, quos inter non pauci aquis submersi perierunt. Cæsi fuere trecenti quinquaginta cataphracti, octodecim

Pro-



Proceres, quos inter erant quatuor, aut quinque Gonzagæ ex familia Marchionis Mantuani, qui ex subditis suis circiter sexaginta Nobiles amisit. Id præcipue Fæderatis vitio dabatur, quod de exercitu suo, nec Ducem, nec milites gregarios delegissent, exploraturos, quæ de noctu in Gallorum castris agerentur, quodque solidas triginta sex horas tanta languissent negligentia, ut Carolum Regem aufugisse, nonnisi postera die versus meridiem comperirent, quem quidem insequi conabantur, sed Tarrus ex continuis imbribus adeo excreverat, ut ante vesperam illum trajicere nullo pacto possent.

Sæcul. XV.  
A.C. 1495.

§. XLVIII.

*Gallici exercitus fuga inscio hoste.*

Quamvis hoc prælium Gallis felix faustumque cessisset, nihilominus Veneti exercitum Caroli Regis immani clade deletum fuisse jactitabant; unde Venetiis Hymnum Ambrosianum solemniter decantari jubebant, atque in cunctis ditionis suæ urbibus festivos ignes in lætitiæ signum accendebant, populo exhibentes Regis tentoria, quæ Albanenses, dum sarcinas deprædabantur, occupabant: Interea tamen Gallorum copiæ altera post pugnam die stationem in acie quiete tenuerunt, & nonnisi feria quarta die

Com. 1. 8.  
V. c. 6. & 7.



Sæcul. XV.

A.C. 1495.

die octava Julii antelucano tempore recesserunt, adeo tamen occulte, ut earum fuga foederatis nonnisi versus meridiem innotuisset. Ergo totus exercitus Placentiam versus movit, nemine transitum intercludente, Rexque discrimini sese subducere unice intentus, tandem die decima quinta ejusdem mensis Julii Astam pervenit, quo itinere ne unius quidem militis jacturam ab hoste passus est, viarum tamen asperitate, & commeatus penuria plurimum laceffit.

## §. XLIX.

*Inanis Genuam occupandi conatus.*

Post hæc Cardinales Ruverus, Fregosus, Vitellius, Fliscus, Adornius, ceterique a Genuensium ditione proscripti Seresanam in patriam suam reversi sunt, ubi frustraneo conatu populares suos ad seditionem concitare studebant; cum vero nil amplius quam annonam, numerata prius pecunia, ab eis impetrare possent, eaque parcior civibus esset, ipsam ob causam Genuensium urbem obsidere properabant; ast brevi obsidionem solvere compulsi sunt, eoquod Ludovicus valido præsidio, quo cives in officio continebat, urbem muniisset, omnesque Gallorum naves, quæ in Genuensium portibus hærebant, aut incendio



dio absumptæ, aut fluctibus haustæ in- Sæcul. XV.  
 teriissent, & Sfortia quoque triremes oc- A.C. 1495.  
 cupasset; verbo, omnia ad frustrandum  
 hujus expeditionis successum communi  
 opera conspirasse videbantur.

S. L.

*Aurelianensis Novarriæ inclusus au-  
 xilium postulat.*

**C**eterum Foederati Novarriensem ur- Comm. lib. 8.  
 bem summo, eoque constanti impetu cap. 8.  
 oppugnant, cumque confecto Fornovi- Guicci. l. 2.  
 eni prælio magnam capiarum partem eo  
 mississent, obsessi ad tantas redacti fuere  
 angustias, ut ferme bis mille incolæ,  
 aut inediæ, aut morborum violentia jam-  
 jam confecti, necatque numerarentur:  
 ubi vero Galliarum Regis exercitus A-  
 stensi urbi appropinquaverat, paulisper  
 obsessi animum erigere cæperunt, mox-  
 que Aureliæ Dux, qui satis improvide  
 sese urbi incluserat, alios & alios fe-  
 liciales ad Carolum Regem decrevit, sup-  
 plices, ut ocius obsessis suppetias adfer-  
 ret: Verum Rex, aut quod alieno Au-  
 relianensis periculo parum commotus es-  
 set, ac Novarriæ salutem suis rationibus  
 haud multum conferre existimaret, aut  
 forte quod expeditionis difficultate ab-  
 sterreretur, nonnisi molli brachio rem-  
 agere cæperat, nec re ipsa tanto molimi-  
 ni



A.C. 1495. Saecul. XV. ni par erat; quippe illius exercitus numero, ac viribus plurimum exhaustus lanquebat, ex adverso Fæderatorum copiae plusquam triginta armatorum millia recensabant, atque insuper media earum pars, constans ex Germanis, quibus Imperator stipendia numerabat, cunctos aditus occupabat, ac summa solertia muniebat; nihilominus Rex ad Aureliæ Ducis libertatem animum adjecerat, cumque præstolaretur adventum decem millium Helvetiorum, qui Ductore Divionensi Præfecto Regem comitarentur, ipse interea Asta Taurinum contendit.

§. LI.

*Carolus ex Italia discedere a Pontifice iussus.*

*Guicc. l. c.  
Spond. ad  
hunc an. n. 19*

Cum Carolus Taurini ageret, ab Alexandro VI. summo Pontifice nuncium excepit, qui Sanctitatis suæ iussu Regi significaret, intra decem dierum spatium cum suis copiis ex Italia discederet, ac nulla mora suos omnes e Regno Neapolitano educeret, alioqui sub anathematis poena sese Romæ coram Pontifice sifteret. Ast hanc citationem Rex promerita elusit responsione, remque potius in risum vertit, ad facialem dicens, „dum „ Neapoli redieram, ut Pontifici pedes „ reverenter oscularer, Romam veni, „ me



„ me tamen Papa ibi expectare noluit, Sæcul. XV.  
 „ proin vehementer miror, quod nunc A.C. 1495.  
 „ tantopere, ut Romam irem, urgere ve-  
 „ lit: verumtamen, ut eidem obtem-  
 „ perem, in id incumbam, ut mi-  
 „ hi viam, quæ Romam ducit, a-  
 „ periam, adeoque Sanctitatem suam  
 „ rogo, ut me expectare in urbe non  
 „ gravetur, ne denuo frustra hoc in-  
 „ commodum suscipere cogar. „ Hoc  
 „ Regis responsum aulicis risum movit,  
 „ feccialis vero protinus discessit, satis con-  
 „ tentus, quod pejora expertus non esset.  
 „ Verum Pontifex ad hæc extrema prola-  
 „ psus non fuisset, nisi eum Veneti, ac  
 „ Ludovicus stimulassent, quibus se Gal-  
 „ lorum potentiam haud ultra vereri, pa-  
 „ lam facere gestiebat, quamvis brevi acer-  
 „ bo satis rudimento edoctus fuisset, Gal-  
 „ liarum Regem minas & Pontificis ful-  
 „ mina flocci pendere (\*).

## §. LII.

(\*) Æquius sentit Spondanus hæc verba  
 subjungens: *Nec tamen propterea Regem Ca-  
 rolum ab illatis in Sedem Apostolicam injuriis,  
 quæcunque illæ probatæ fuerint, aut ab osten-  
 tata Alexandro Pontifici irreverentia excusa-  
 re ullo pacto aut volumus, aut suscipimus.  
 Sunt omnium testes historiæ, quæ rem deter-  
 minent. Sic ille ad hunc annum num. 19.*



Sæcul. XV.  
A.C. 1495.

§. LII.

*Regis consilium de solvenda Novarriensi obsidione.*

Interea Rex continuo Pedemontii hærebat, ubi jam Astam, jam Chierium, aut Vercellas divertit, parum anxius de ferenda ope Duci Aurelianensi, utpote qui haud amplius tanquam proximus regni hæres colebatur, cum ipsemet Rex jamjam filium suscepisset Delphinum quatuor ferme annos natum: quapropter Senatorum, qui Duci minus favebant, consilia longe magis prævalebant suasionibus Brissonetti Cardinalis, & Georgii de Ambasia Rothomagensis Archiepiscopi, qui Regi auctores erant, ut foederatorum munimenta vi perfringeret, cum Ducis, Gallorumque, qui cum eo erant, salutem, libertatemque procurandi nullum aliud superesset remedium. Tandem Rex repente sententiam suam mutavit, utque recentes, quibus Chierii in quadam nobilem foeminam Annam Sorelli nomine exarserat, amoris flammam honesto obvelaret prætextu, Sabaudicæ Ducissam rogavit, quatenus Vercellanam urbem ei concederet, ut Novariensi urbi magis expeditum afferret subsidium. Annuit Ducissa, Rexque, licet nonnisi decem millia postulasset, viginti tamen millia



millia Helvetiorum obtinuit, quibus sup-  
 petiis auctus omnem intendit operam, Sæcul. XV.  
A. C. 1495.  
 ut civitatis obsidionem solveret, ac fœ-  
 deratorum obsidionales fossas circa ur-  
 bem ductas superaret; hæc tamen ideo  
 omnia dextre inventa fuere, ut rumor late  
 disseminatus paulatim refrigesceret, quo  
 passim spargebatur, quod longioris, quam  
 rerum suarum ratio postularet, moræ  
 causa fuerit immoderatus præfatæ mu-  
 lieris amor.

## §. LIII.

*Concordia Regem inter & Florentinos.*

Hæc dum geruntur, interrupta resu- Guic. l. cit.  
 muntur Florentinorum negotia, qui  
 urbes suas sibi restitui petebant; nec  
 concordiae pactum ultra unam diem te-  
 nuit, causam maturante pecuniarum in-  
 opia, qua Galliarum Rex premebatur:  
 ergo utrinque sancitum I. Respublica Ca-  
 rolo mox triginta aureorum millia, &  
 septuaginta millia Mompensero Neapo-  
 lis Pro-Regi numeraret, II. obsides da-  
 ret sex civium præcipuos; III. Rex quan-  
 tocius Florentinis redderet cunctas eo-  
 rum urbes, exceptis Seresana, & Pe-  
 tra sancta, quæ Genuensibus restitueren-  
 tur, si illi intra biennii spacium denuo  
 Franciæ imperio sese subjecturi essent,  
 alioqui Florentinis redderentur; IV. ii-  
 dem

Hist. Eccles. Tom. XXXI.

F

dem



Sæcul. XV.  
A.C. 1495.

dem nunc ducentos quinquaginta Lan-  
cearios suis sumptibus alendos in Nea-  
politani Pro-regis auxilium submitterent.  
Verum omnes hæ pactiones Novarrensis  
urbis calamitates neutiquam minuebant,  
quamvis obsessi horrenda fame cruciati,  
constanter in Regis fide perstitissent. Non  
deerant, qui Carolo auctores erant, ut  
ad honestas deditiois condiciones de-  
scenderet: nec ab hoc consilio Rex om-  
nino alienus erat, primas tamen hac in  
re partes agere recusabat. Equidem Pa-  
licius, alique urbem comneatu, atque  
auctiore præsidio munire nitebantur, ten-  
tabantque alicubi hostium propugnacula  
armis superare; verum usque adeo irri-  
to conatu, ut etiam Itali Aureliæ Duci  
Francisanorum conventum, & suburbium  
S. Nazarii eriperent; unde Aurelianen-  
sis ceteris suburbiis ignem subjicere com-  
pellebatur, hujus obsidionis vi gravissime  
arctatus, qui etiam malorum cumulo  
succubisset, nisi opportuni casus bene-  
ficio feliciter ereptus fuisset.

## §. LIV.

*Montferatensis Marchionissæ obitus.*

*Comm. 1. 8.*  
*c. 4. tom. 2.*  
*p. 136.*

Eo tempore Montferatensis Marchionis  
vidua, quæ Caroli partibus studebat,  
rebus humanis erepta est, annos nata  
viginti novem; erat filia Serviciæ Regis  
a Tur-



a Turcarum Imperatore ditionibus spo-  
 liati, ejusque obitu tam tutela, quam saecul. XV.  
 Principatus, qui Paleologo puero illius A.C. 1495.  
 filio obtingeret, administratio vacabant;  
 duo erant, qui de tutela Principis con-  
 tendebant, nimirum celebris ille Constan-  
 tinus defunctæ Patruus, qui antea Mont-  
 ferratum ad Marchionissam sese recepe-  
 rat: alter erat Saluciarum Marchio, am-  
 bo huic pupillo sanguine juncti, ac tam  
 regimini quam tutelæ sat idonei. Ergo  
 Statuum Ordines ad tutoris electionem  
 Casali conventum agunt, sed obstante  
 ingenti utriusque Competitoris auctori-  
 tate, res definiri non poterat; unde Ca-  
 rolus Rex veritus, ne alteruter horum  
 hac dissensione fretus, Mediolanensis Du-  
 cis opera imploraret, Casalim misit Phi-  
 lippum Comminæum specialis legationis  
 munere auctum, qui Ordines induceret,  
 ut rectorem suum, necnon Principis pue-  
 ri tutorem juxta legum præscripta eli-  
 gerent. Itaque Philippus Casalim con-  
 tendit, & post crebras consultationes  
 cum Optimatibus habitas, Constantino  
 suffragatus est, ceteris omnibus huic ele-  
 ctioni unanimi voto applaudentibus.



Secul. XV.  
A.C. 1495.

§. LV.

*Comminæi molimina de Fœdere inter  
Carolus Regem & Venetos.*

*Comm. ut su-  
pra p. 138.*

Interim Italiæ Principes sub idem tempus, quo Novarrensi obsidioni unice intenti erant, ad juvenem Montferrati Marchionem Oratores decernebant, qui nomine suorum Principum Marchioni de Matris suæ Marchionissæ obitu mærorem dolenter testarentur. Hos a Venetorum Republica ablegatos, ac præ ceteris quemdam Mantuani Marchionis mensæ Præfectum Comminæus optime noverat, hunc ergo sub prætextu obsequii invisit, miscuitque cum illo colloquium, exponens, præsentem rerum vicissitudinem omnino exposcere, ut concordia cum Galliarum Rege iniretur; si enim aperto Marte rem dirimi contingeret, adventantibus Helvetiis horrendam utrinque cædem imminere, potius ergo opportuno pacis remedio humani sanguinis effusioni parcendum esse, denique præfatum Ministrum induxit, ut de concordia cum Venetis ageret, eo potissimum nomine, quod Dominum suum Mantuæ Marchionem ad pacis consilia valde propensum testaretur; cum vero ille subjungeret, Marchionem nullatenus priorem in componenda pace futurum,



turum, hinc Comminæus, ut hunc quo-  
que obicem submoveret, ad ambos Rei-  
publicæ Curatores per Caduceatores li-  
teras misit, quibus illi quantocius re-  
spondebant, significantes, se mox de Re-  
gis animo ad concordiam propenso Rem-  
publicam edocturos, ejusque jussa præ-  
stolatos. Ergo Veneti mandata sua  
expediunt, ablegantque Comitem Alber-  
tinum, Ferrariæ Ducis Cubicularium,  
Virum ad conciliandam pacem minus i-  
doneum, eoquod Domini sui partibus  
plurimum studeret, ille vero bellum pro-  
rogari unice optaret, ut ditiones in Pen-  
insula Rhodigiana ad oram Athesis sitas,  
sibi que a Venetis ereptas armis recupe-  
raret: Igitur Comes, ut Regem a foedere  
averteret, Trivulcio sese adjunxit, qui  
hostium castra oppugnanda contenderat,  
unde ambo seorsim Regi exponebant,  
foederatos Gallici exercitus adventu,  
gravi timore turbatos esse, proin nec du-  
bium fore, eos ad primos Francorum im-  
petus obsidionem soluturos.

## §. LVI.

*Consultationes de concordia  
pactis.*

Verum Carolus certum hac super re Comm. 1.3.  
responsum Oratoribus dare differe- c. 9. tom. 2.  
bat, donec Senatus sui sententiam ro- p. 142.

F 3

gasset;



Sæcul. XV.  
A.C 1495.

gasset; ast non eadem erat omnium opinio; quippe foederatorum propugnacula expugnare placuit Brissonneto Cardinali, Georgio de Ambasia Rothomagensi Archiepiscopo, aliisque, qui Aureliæ Duci favebant: Trivulcius quoque odio in Mediolani Ducem stimulatus, horum sententiæ accessit: potissima vero ceterorum pars, ac præcipue Arausionensis Princeps, qui non ita pridem ex Galliis advenerat, Trimollius, & Commi-næus in diversum abibant, rem compositione pacis dirimendam esse contendentes. Prævaluit etiam horum consilium, ac Venetis ad concordiæ leges inclinatis, utrinque publicæ securitatis literæ expediuntur, decernuntur Legati, ac denique ad mutua colloquia designatur locus in Mediolanensi Ducatu haud procul a Novarrensi urbe Bolgarim inter, & Camerinum interjacens. Prima congressus die inter eos convenit, Dux Aurelianensis & Saluciarum Marchio, qui cum illo Novarræ inclusus erat, nulla mora cum omnibus suis famulis urbe excederent, & Vercellas ad Regis curiam pergerent, ea tamen lege, ut iisdem, vel aliis pari tamen numero famulis stipati, si forte pacis consilia in irritum caderent, urbem obsessam repetant, ac præterea in conditionis hujus fidem obfides relinquunt: Ut vero Aureliæ Duci



ci, ac Salutarum Marchioni obsidionales fossas transeuntibus, ab omni insultu periculo cautum esset, ipsemet Mantuæ Marchio lubens sese obsidem obtulit.

ætal. XV.

A.C. 1495.

## §. LVII.

*Primi pacis articuli effectui dati.*

Verum non ita facilis erat executio hujus articuli de Aureliæ Ducis discessu, quam promptum esset illius desiderium; Præsidarii enim milites tam Ducis, quam Salutarum Marchionis absentiae graviter oblectabantur, veriti, ne utroque extra discriminis aleam posito, ceterorum salus negligeretur; unde seditionem conflant, ambos Principes comprehendunt, ac non sine excubiis custodiunt, significantque, eos, cum illorum jussu in commune hoc periculum conjecti essent, pari se cum illis fato, aut libertatis, aut mortis socios omnino futuros. Ergo fides datur, illos, utcumque res esset, evoluto tridui spacio libertati asserendos esse, atque in promissi pignus Rochefortius Giensis Marescalli Neptos illis obses relinquitur. Nec pollicitationi integra fides deerat; quippe altera mox die Oratores communi suffragio decernebant, ut Galli ex pacto a Novarrensi urbe discederent, arcem non



Sæcul. XV. nisi triginta præfidiariis, unoque Duce  
 A.C. 1495. unitam tenerent, his vero data pecu-  
 nia commeatus suppeditaretur, donec  
 foederis pacto ultima manus accessisset;  
 denique urbs civium præsidio defenderetur.  
 Ceterum, ex quinque millibus,  
 quibus præsidium constabat, ægre sex-  
 centi recensentur milites, qui ad ar-  
 ma gerenda idonei essent, nec ultra e-  
 quites numerabantur, eoquod ad pellen-  
 dam famem equi mactati fuissent.

## §. LVIII.

*Obstacula foederis.*

*Comm. l. c.  
 cap. II.*

Primis hisce articulis effectui datis, de  
 summa foederis agebatur, nempe de  
 tradenda Novarrensi urbe; verum jam  
 quintum decimum diem consultatio te-  
 nebat, quin tamen vel ulla conditio  
 mutuo consensu firmaretur, imo adeo  
 exarsere contendendum studia, ut Aure-  
 liæ Dux, qui colloquium dissolvi petebat,  
 Arausionensem Principem mendacii ar-  
 gueret, ipsosque Helvetios concitaret,  
 ut manus conferri, alta voce postularent.

## §. LIX.

*Articuli pacis cum Francia.*

Nihilominus insuper habitis hisce jurgiis,  
 tandem foedus die decima Octo-  
 bris



bris utrinque firmatum est, cujus præcipuæ conditiones erant sequentes; I. Nul-  
lum declaretur pactum, quo Ludovicus XI. urbem, totamque Genuensium ditio-  
nem Francisco, & Galeatio, qui Sfortiæ Pa-  
ter, & Ludovici frater nata major erat, ces-  
serat; proin Genuenses denuo Francorum  
imperio adjungantur, salvis tamen eo-  
rum privilegiis, quæ, dum sese Carolo VI.  
subjiciebant, intacta petebant. II.  
Novarra Mediolanensis Ducis dominio  
subjecta permaneat; civibus tamen, ce-  
terisque, qui Aureliæ Duci adhæserunt,  
anteactorum criminum oblivio indul-  
geatur. III. In pristinum statum, quo  
inveniebantur, reducantur triremes, &  
navigia, quæ Galli in Genuensium por-  
tus, invehebant, atque ad reparandam  
hanc injuriam Ludovicus suam quoque  
classem adjungat, illamque tribus Decire-  
mibus augeat, usque dum Carolus VIII.  
Neapolis regnum plene recuperasset.  
IV. Ludovicus equitum, peditumque  
agminibus, quotquot terrestri itinere eo  
ducere libuerit, per Mediolanensem Du-  
catum liberum concedat transitum, ea  
tamen lege, ut uno agmine nonnisi qua-  
dringenti Cataphracti, ac peditum qua-  
tuor millia transirent. V. Idem omni-  
bus armorum societatibus adversus Fran-  
ciam initis nuncium mittat. VI. Caro-  
lo VIII. octoginta Ducatorum millia ad  
belli



Sæcul. XV.  
A.C. 1495.

belli sumptus mutuo data condonet, quinquaginta vero aureorum millia pro iisdem expensis Aureliæ Duci solvat. VII. Trivulcio pristinos honores, ac redditus bonorum, quæ ærario adjudicata erant, restituat, simulque præter Sanseverinatem copias etiam, quas Pisas miserat, revocet, nec Sabaudia Duci ob transitus facultatem, aut subsidia Gallis concedenda bellum ullo pacto inferat, eademque commercii libertate Helvetii per univrsam Mediolani Ducatum fruantur. Cumque ad discutiendas huic foederi accedendi rationes Veneti bimestre spacium postularent, Comminæus hisce pactis postremum hunc articulum adjici petiit, quo Ludovicus promitteret, quod, si forte Venetorum Respublica intra duos menses præfato foederi accedere renueret, Gallique bellum ei nunciarent, adversus illam copias suas adjungere, adiutumque concedere velit, ut in continentem illius regionem infestis armis irrumpere valerent; id quoque Ludovicus Gallis dedit, haud veritus, sibi per hoc insignis erga suos benefactores ingratitude maculam inuri.

§. LX.



§. LX.

*Pacta a Carolo Rege, & Ludovico  
Sfortia firmata.*

Sæcul. XV.  
A. C. 1495.

Vix hæ pacis conditiones proponeban-  
tur, cum Ludovicus mox eas manu suo *La Vign.*  
firmaret, sola Novarram quantocius re-*jour. du*  
cuperandi spe animatus; cetera firmum *voiage Charl.*  
fixumque habebat, se nullum, nisi e re *VIII.*  
sua esset, foederis articulum servaturum:  
nec meliora Galliarum Rex a Ludovico  
sperabat, prævaluit tamen in eo ingens  
in Franciam redeundi cupiditas, unde  
concordiæ foedus, inconsulto Senatu suo  
præceps firmavit: Helvetii vero, cum  
eos potissimum belli gerendi spes advo-  
casset, foedus honori rebusque suis tam  
exitiosum permolestè ferebant, atque ad  
prælia educi postulabant, Regemque  
arma in manibus tenentes compellebant,  
ut, nisi bellum gereretur, ex pacto inter  
Ludovicum XI. ac eorum pagos sancito  
ipsis bimestre stipendium solveret: quin  
etiam ipsum Regem prehendere statue-  
bant: ea res Carolum tanto terrore per-  
culit, ut præcipiti fuga, totoque pedum  
studio Tridinum, quæ Montferratensis  
Ducatus urbs est, sese reciperet, inde  
vero Gannayum Præsidentem, & Commi-  
næum ad Mediolani Ducem ablegaret,  
qui eum ad se venire rogarent: ast Duce  
repulsam



Sæcul. XV. repulsam dante, Carolus die decima  
A. C. 1495. quinta Octobris Tridino profectus, vige-  
 sima septima ejusdem mensis Gratiano-  
 polim pervenit, ubi adversa aliquot die-  
 rum valetudine detentus, nonnisi septi-  
 ma Novembris Lugdunum præsentia sua  
 honoravit suis duntaxat aulicis stipatus;  
 ceteri enim Galli ad suam quisque Pro-  
 vinciam reversi sunt.

## §. LXI.

*Ludovicus Sfortia fœdifragus.*

**L**udovicus Sfortia, recuperata tandem  
 Novarra, datæ fidei immemor Ge-  
 nuam sibi vendicavit, nec triremes, nec  
 naves ibi repertas restituit, tantumque  
 abfuit, ut hisce navigiis cursum Neapo-  
 lin versus prosequendi libertatem conce-  
 deret, quin etiam eorum ministerio ad  
 subvehendum in arces com meatum ute-  
 retur, eaque classi suæ utramque hanc  
 arcem obsidenti adjungeret; quo facto  
 Caroli res in Neapolis Regno summope-  
 re deficere, ex adverso Ferdinandi spes  
 plurimum crescere videbatur; hic enim,  
 cum quasdam adhuc urbes in sua fide  
 retinisset, ut faciliori negotio regnum  
 suum recuperaret, clam cum Venetis  
 foedus pepigit, quo pollicitus est, se ma-  
 ritimas urbes, quas in Apulia denuo oc-  
 cupaturus esset, Venetis pignoris loco  
 cessu-



cessurum, donec ipsis summa expensas Sæcul. XV. A.C. 1495.  
 adæquans inde proveniret. Placueret                       
 Venetis hæc conditiones, forte quia Gal-  
 los ex Italia pellere firmiter decreverant,  
 aut quod facilius sub Principe imbecilli,  
 qualis erat Ferdinandus, quam sub Gal-  
 liarum Rege votis suis potiri sperassent.  
 Ergo Marchio Mantuanus cum copia-  
 rum reliquiis, quæ ex Fornoviensi clade  
 supererant Neapolis oram relegit, Brun-  
 dusium, Hydruntum occupavit, ceteras-  
 que omnes urbes, quæ Venetorum rebus  
 magis opportunæ erant, cepit excepto Ta-  
 rento, quam urbem Sullyus invicta ani-  
 mi fortitudine tuebatur.

## §. LXII.

*Venetorum atque Hispanorum con-  
 silia de redintegrando Fer-  
 dinando.*

Hispani primis hisce blandientis fortu- Guicciard. hist. Ital. 2. Paul. Jov.  
 næ auspiciis stimulati, Venetorum  
 conatibus favere aggrediuntur, ac una-  
 cum Ferdinando, qui hucusque in Æna-  
 ria, quæ est Siciliæ Insula, agebat,  
 Messinæ naves conscendunt, ceterisque  
 copiis, quæ terra procedebant, Confal-  
 vum Fernandez de Corduba præficiunt,  
 Virum, qui in nupero Granatensi bello  
 ante alios longe eminuit, ac ob fortitu-  
 dinis



Sæcul. XV.

A. C. 1495.

dinis laudem *Magni Belliducis* cognomen emeruit: Classi vero imperabat Villarmianus, maritimas autem Venetorum copias Grimanus, terrestres Franciscus Gonzaga ducebant. Ergo Consalvus Regio-Julii, quæ urbs e regione Messinam respicit, exercitum suum in terram exponit, ac quorundam nautarum opera civitatem occupat, Gallorum præsidium profligat, arcemque nonnisi triduo hostium impetus sustinentem expugnat. Albinus, qui in Calabria imperabat, & Precii de Alegre copiis augebatur, Ferdinandum profligare decernit, unde exercitum suum ad Seminaram urbem admovet, quam antea a Consalvo captam, Ferdinandus fatigatum corpus refecturus incolebat.

## §. LXIII.

*Hispanorum exercitus ab Albino profligatus.**Marian. hist.**Hisp. l. 28.*

Itaque arma conferuntur, ubi Gallorum equitum turmæ Hispani equitatus ordines impetu facto perfringunt, ac quaquaversum ferro viam sibi aperiunt, usque ad Consalvi agmina penetrantes, qui tamen haud expectata hostili aggressionem mox pedem retulit. Ferdinandus quoque, equo suo jamjam trucidato, ipsius ab hoste captus fuisset, nisi Joannes de



de Altavilla Termensis Ducis frater Sæcul. XV.  
A.C. 1495.  
opportuno auxilio eidem equum suum Termini  
suppeditasset, eumque periculo eripuisset.  
Tanto tamen terrore percellebatur Fer-  
dinandus, ut nec Regii, nec in alia qua-  
cunque Neapolitani regni urbe morari  
ausus, Messinam repeteret.

## §. LXIV.

*Valida Ferdinandi classis ad Neapolis  
oram.*

Abs dubio Albinus omnes hostium co-  
pias in captivitate abstraxisset, Marian. hist.  
Hisp. l. 28.  
proin Carolo Neapolis regnum vindicas-  
set, si Hispanos Seminaram usque, quo  
confugerant, cunctatione remota insecu-  
tus fuisset; ast adversa valetudine obru-  
tus, victoriæ cursum in posteram diem  
prorogabat, qua moræ opportunitate  
hostes bene usi, Seminara Regium sese  
receperunt. Interea Ferdinandus haud  
diu Messanæ hærebat, moxque ad eum  
quorundam Neapolitanorum Optimatum  
literæ deferuntur, quibus significabant, se  
hoc unum destinatum habere, ut una  
omnes eidem adhærent, dummodo  
ipsum Neapolin petere non cunctaretur:  
Unde Ferdinandus dextre captata bene-  
volentia eorum, qui Hispanicæ classi  
præerant, iis annuentibus, simulque eum  
comitantibus, ad Neapolis oram rever-  
sus



Sæcul. XV.  
A.C. 1495.

sus est, & conventionem factam cum siculis Mercatoribus, qui opibus magis præditi proprias possidebant naves, brevi classem instruxit, sexaginta navigiis validam. Verum ingenti annonæ penuria pressus, jam tertio die omnem optatum successum spem abjecerat, nihilque proptius fuisset, quam ut Messinam rediret, nisi adversi obstitissent venti; interea tamen Neapolitani cives, phasello ad Ferdinandum missis, eidem nunciant: bono sit animo, cum certo certius res bene, ac feliciter eventura foret, dummodo quasdam copias urbi admovent, ac verisimili ratione in vulgus spargeret, longe validiores brevi subsecuturas.

## §. LXV.

*Mompenserus ex urbe erumpens,  
Ferdinandum aggreditur.*

Ergo Ferdinandus Neapolitanorum auxilio tutus, vela vertere iussit, moxque secundis ventis ad Neapolis oram appulsus est, ac nonnisi octingentis militibus stipatus, totidem vero navibus auctus, exsensionem fecit. Recepta Mompenserus Pro-Regiæ dignitatis immemor, cum in præsentis rerum vicissitudine nec pedem extra mœnia movere, illum decuisset, sex millia selectioris militiæ, quæ urbem tuebantur, collegit.



legit, ipſuſque Ducis partes agens, per Sæcul. XV. A.C. 1495.  
 illam erupit portam, quæ hoſti in terram  
 exſcendenti propior erat, tamque incon-  
 ſulta vincendi fiducia in Ferdinandi co-  
 pias irruit, perinde ac ſi de victoria pri-  
 mo impetu reportanda certus eſſet.  
 Verum vix prælium auſpicatur, cum jam  
 omnes urbis campanæ inſonant, motæ ſe-  
 ditionis inditia, moxque conjurati civi-  
 bus ſibi conciliatis, celebriores urbis re-  
 giones obſident, portas occupant, tam-  
 que ingentem excitant tumultum, ut  
 Mompenerius ſedandæ tempeſtati præ-  
 ſentiam ſuam maxime neceſſariam fore  
 ratus, e prælio elaberetur, & confestim  
 ad urbis portam advolaret, quam tamen  
 non modo occluſam invenit, ſed etiam  
 ſtrenue deſenſam a Viris, aut vincere  
 aut mori paratis, qui in eum denſam glo-  
 borum, ac flammæ tempeſtatem effunde-  
 bant, eumque ad caſtrum novum per  
 longas, eaſque difficillimas viarum am-  
 bages fugere compellebant.

## §. LXVI.

*Ferdinandus Neapolin ingreſſus.*

Hæc dum in urbe gerebantur, Ferdi-  
 nandus opportunum naçtus eſt tem-  
 poris ſpaciũ, ut Neapolin ingrederetur,  
 & copias ſuas civibus magis ad audendum  
 projectis auget, atque ipſas quoque  
Hift. Eccleſiaſt. Tom. XXXI.      G      pla-



Sæcul. XV.  
A. C. 1495.

platearum, quæ ad arces ducebant, fauces excubiis muniret, eo consilio, ut castrenses fossores, qui valla, aggeresque erigebant, tueretur. Mompenferius cognito Ferdinandi adventu, comitante cum Ivone Alegrio, cum suis copiis arcem egressus, per spatiosam plateam in urbem penetrat, hostem e vallo deturbat, & viarum aditus oppositis doliis obstructos perfringit; ast ubi cum agmine suo plateas occuparet, Ferdinandi milites dextrorsum, ac sinistrorsum domos involant, fenestras, & tecta obsident, indeque emissa in Gallos globorum grandine quam plurimos tanta strage conficiunt, ut Mompenferius ad castrum novum reverti, ac sese intra mœnia recipere compelleretur. Ivo quidem altera ex parte ad medium Neapolitanæ urbis procurrat, ast præter Ecclesias S. Crucis, & S. Agathæ, necnon S. Laurentii monasterium non nisi duas arces Gallorum potestati subjectas servare poterat.

## §. LXVII.

*Mompenferius in arce obsessus, & ad deditionem compulsus.*

**M**ompenferius in castro novo inclusus, nil reliquum habebat, quam ut signa inferentibus resisteret; tam arcte enim a Ferdinandi, Venetorum & Hispanorum



norum classibus cingebatur, ut undique secul. XV.  
 Gallis accessus prohiberetur. Carolus AE 1495.  
 comperta Neapolitanorum seditione Per-  
 ronium de Baschi ablegat, dato negotio,  
 ut classis Nicææ instructa quantocius  
 vela faceret; interea vero Rex naves, quæ  
 in finibus Genuæ in anchoris hære-  
 bant, ad Mompenserii auxilium excur-  
 rere jubet, hujus expeditionis cura Ar-  
 bano demandata; hic quidem expansis  
 pleno sinu velis hostium classi occurrit,  
 quæ triginta duobus navigiis constans,  
 Cajetæ in alto torpebat; ast Arbanus  
 conspecta hostili classe tanto terrore tur-  
 babatur, ut ipsi lingua, & aqua hære-  
 ret, necnon consilii, mentisque inops nil  
 in promptu haberet, quod ageret, nisi  
 quod classarios suos fugam arripere ju-  
 beret, unde nullo ordine, unaque ex suis  
 navibus jamjam amissa ad Liburni por-  
 tum cursum relegit. Igitur Mompense-  
 rius omnis auxilii spe dejectus, ac famis  
 violentiam ultra sustinendo impar, cum  
 hoste paciscitur, quod nisi intra triginta  
 dies validæ mitterentur suppetiæ, Fer-  
 dinando ea omnia, quæ adhuc dum Galli  
 in Neapolis regno possident, reddere,  
 regnoque excedere velit, ea tamen  
 lege, ut sibi cum armis, & sarcinis per  
 mare, vel per terram pro suo arbitrio cum  
 plena securitate exire liceret.



Sæcul. XV.  
A. C. 1495.

§. LXVIII.

*Precyus de Alegre Mompenserio opem  
fert, & Matalonem pro-  
fligat.*

*Marian. l. 26* Arbanus in his angustiis prehensus, Albinum sollicitat, ut collecto justo copiarum numero, ac commeatu eum a periculo educeret; verum Albinus morbo affectus, Precyo de Alegre istius curam demandavit, qui rei gerendæ negotium lubens accepit: Ferdinandus vero re comperta quantocius cum delecta suorum militia Matalonem Comitem decernit, qui Precyo occurreret. Verum Comes insidias, quæ eidem struebantur, haud evitare poterat; Precyus enim agmen suum nimis lassatum ac itineri prosequendo impar esse simulans, eandem, qua venerat, viam relegit, cumque a fronte tutus esset, commeatum suum ea ex parte collocavit, copias vero suas eo ordine instruxit, ut validiores extrema aciei occuparent. Nunciant interea Matalonis exploratores, quod Gallos, nisi mature eos ab æqui campi opportunitate excluderet, nunquam penitus profligare posset, eo quod illi facili negotio in Apuliæ urbes confugerent, a quorum civibus, cum ferme omnes Andegavensibus adhærerent, non sine jubilo exciperentur.



rentur. Comes horum relatione ani- Sæcul. XV.  
 matus, Gallos, priusquam arctiores vias A C. 1495.  
 reliquissent, aggredi statuit, ac improvi-  
 do plane consilio stationem suam dese-  
 ruit. Equidem Gallis occurrebat, cum  
 adhucdam in campo summe inæquali  
 hærent, nihilominus Precyus in pri-  
 mum Matalonis agmen irruit, illudque  
 altero impetu feliciter tentato, protrudit  
 usque ad mediam ejus aciem, quæ ve-  
 teranæ Neapolitanæ militiæ tribus mil-  
 libus, ac mille Vasconibus, qui omnes in  
 prælio occubuerunt, constabat. Po-  
 strema Matelonis acies, cum sibi soli to-  
 tam victorum, præliique molem incum-  
 bere intelligeret, cunctis dilabentibus, &  
 ipsa periculum fuga prævertit, illud vero  
 agmen, quod Matelo ad subitos prælii  
 casus sepositum habebat, insciis Gallis  
 Elbolim conduxit, ceteris Nolam, aliis  
 Neapolin fugientibus.

## §. LXIX.

*Precyus ad castrum Ovi movet, sed  
 in Calabriam profugit.*

Ferdinandus hac suorum clade summe  
 perterritus, jam in eo erat, ut soluta  
 arcium obsidione cæptum expeditionis  
 cursum sistere decerneret; attamen con-  
 jurati, qui Mompenserium Neapolitana  
 urbis porta excluderant, necnon Prosper,  
 G 3 &



Sæcul. XV.

A.C. 1495.

& Fabricius ex Columnensium familia fratres, relictis Caroli partibus, quamvis ab eo beneficiis cumulati essent, pœnæ tamen metu desperationem stimulante, omne impenderunt studium, ut fractum Ferdinandi animum erigerent, certissimi, de rebus suis conclamatum esse, nisi Rex ille pristino regni sui fastigio redderetur: Itaque trecenti lancearii, qui Elbolim sese receperant, Neapolin rediere, quo etiam Precyus de Alegre pervenit, suasque copias castri Ovi munitiōibus admovit, sed grandinanti- bus undique tormentis, ac volitantibus grandioris plumbi globis adeo suus de- crescebat miles, ut obsessos aggredi mi- nime ausus, in Calabriam reverteretur: cum vero Prosper Columna fugientem insequeretur, arma denuo conferuntur, atque levior Itatorum equitatus tanto impetu funditur, ut usque ad cataphra- ctorum agmina, quæ illum tuebantur, re- pelleretur; Avalosus quoque Piscariae Marchionis frater natu minor, & Mar- chionis de Guasto seu Vastii Pater in terram prosternebatur, cataphracti vero per media equitum agmina ferro sibi viam aperientes, tandem una omnes fuga sese eripiebant, in mediam aciem, ad quam confugerant, terrorem extenden- tes; ipse quoque Ferdinandus, qui præ- llo præerat, cum multitudinē turmatim irruen-



irruenti obistere haud posset, promiscuo Sæcul. XV.  
A.C. 1495.  
ceterorum impetu abreptus est, ac cum  
reliquis & ipse haud parum postremæ  
aciei dissipationem promovit.

## §. LXX.

*Mompenserii discessus ab arce  
Neapolitana.*

Abs dubio Ferdinandus funditus periisset, quin etiam captus fuisset, si Precyus fortunam rebus suis propitiam fuisse scivisset; ast excitatæ pulveris nubes a vento circumactæ adeo oculorum aciem perstringebant, ut victoriam, quam sui milites reportabant, nec mente nec oculis assequi posset, quocirca integram referre palmam negligebat: interea vero Ferdinandus copias suas augendi tantum accipiebat spacium, ut quiete præstolari valeret, donec terminus ex arce discedendi Mompenserio concessus expirasset. Post hæc Neapolis Pro-Rex cum per geminam, quam Precyus mox reportasse contenderat, victoriam rerum faciem mutatam esse cereret, se haud amplius datæ fidei religione teneri arbitrabatur; quapropter munimenta, quæ foris castrum novum cingebant, qua parte minus custodita essent, lustrat, suosque milites in unam aciem colligit, tantaque ferocia, qua majorem nec summa necis



Sæcul XV.

A.C. 1495.

nec victoriæ aviditas inspirare possit, in hostem irruit, ac per gladiatorum acies erumpit, nonnisi quindecim, aut viginti suorum desideratis; demum per ultimas cædes elapsus, San-Severinum versus se recepit, quod oppidum antea ab hoste captum de suo armis subiecit, nec non & castra sua ad vicina loca extendit, hancque stationem adeo firmiter tenuit, ut inde haud facile propelli possit.

## §. LXXI.

*Utraque Neapolis arx cum ceteris urbibus a Ferdinando occupata.*

*Mariana  
hist. Hisp.  
lib. 26. n. 64.  
Comm. l. 8.  
c. 14.*

la Marc

*Raynald: hoc  
ann. num. 36.*

Ceterum Ferdinandus Mompenserium ultimis hisce conatibus manifeste datam deditiois fidem fregisse reputabat; unde perfidiam ulturus, quinque obsides sibi traditos neci dare animo constituit, imo etiam eos, ut animam ad mortem præpararent, admoneri iussit. Horum nomina erant, Ivo de Alegre, Marchia, Chapella, Roquebertinus, & Genlis, omnes primæ Nobilitatis Gallicæ Viri, consilio, manuque promptissimi, & ab ipsismet Ferdinandi Proceribus in honore habiti, quapropter ejusdem Senatores Regi exponunt, horum Optimatum nece adeo non rebus suis consultum iri, ut



ut potius ipsius conditio pejor evaderet: Sæcul. XV.  
fore enim, ut Mompenserius omnes No- A C 1495.  
biles, quos casus & fors in manum ejus  
daret, promiscuo interitu jugulari præci-  
peret. Ferdinandus his rationibus cessit.

Ceterum castrum novum non nisi  
viginti diebus expugnantium impetus su-  
stinuit, ac demum sexta Octobris die  
Ferdinando reddita est, octavo nempe  
abhinc mense, quo Carolus Galliarum  
Rex hanc arcem ingressus erat. Pari  
quoque fato Castrum Ovi, præsiariis  
tantisper resistentibus, Hispanis cessit,  
brevique reliqua regni pars horum exem-  
plum sequebatur. Præterea Consalvus  
totam Calabriam Gallis eripuit, ac præ-  
ter Capuanos, qui Ferdinandi partibus  
sefe addixerunt, tota quoque Apulia Gal-  
lorum jugum excussit, Salernum quoque,  
Aversa, Arx Montdraconia, ac plurimæ  
aliæ urbes Gallorum præsidia expule-  
runt, atque Arragonensium vexilla eri-  
gentes, Franciam diris execrationibus  
devoverunt, paulo post Mompenserium  
regno excedere compellentes.

## §. LXXII.

*Comminæus pacem cum Venetis inire  
nisus.*

Dum Neapolis arces obsidione preme- *Comm. l. 8.*  
bantur, interea Comminæus Vene- *c. 12.*  
tiis



Sæcul. XV.  
A.C. 1495.

tiis agebat, totusque in eo erat, ut Reipublicæ Rectores ad acceptandas pacis conditiones induceret, quarum tres potissimum proponebat. I. Monopolim, quam Gallis eripuissent, iisdem restituerent. II. Mantuæ Marchio copias suas e Neapolis regno evocaret, ac Ferdinandi stipendiis nuncium mitteret. III. Veneti palam denunciarent, Ferdinandum nullatenus adscriptum esse Foederi, quod inter Papam, Romanorum Regem, Regemque Hispaniæ, & Mediolani Ducem initum fuisset. Veneti, priusquam Comminæo responderent, crebris supplicationibus, atque eleemosynis mentes suas illustrari a Deo efflagitabant, tandem vero decima quinta ex post die cuncta Comminæi postulata omnino rejiciebant, eidem significantes, Rempubliacam Galliarum Regi bellum haud intulisse, equidem copias subministrasse, non alio tamen consilio, quam ut Mediolanensium Duci foederato suo, in cujus interitum Carolus jurasset, suppetias ferrent. His addiderunt, Ferdinandum, consentiente Papa, Neapolis regni clientelam apud Galliarum Regem professurum, necnon Franciæ quotannis numerarum quinquaginta Ducatorum millia, quæ a Venetis mutuo danda essent, ea tamen lege, ut Brundusium, Hydruntum, Tranium, aliæque Apuliæ urbes eorum domi-



dominio subjicerentur, Tarentum vero, Sæcul. XV.  
A.C. 1495.  
cum adhuc Gallis pareret, Regi cedere-  
tur. Denique Veneti Carolo offerebant  
centum triremes suis sumptibus instruend-  
as, & quinque millia equitum, si forte  
Rex Turcis bellum nunciaturus esset.

§. LXXIII.

*Delphini Franciæ obitus.*

Verum Comminæus cunctas hæc pro- Comm. l. 8.  
c. 13.  
positiones nonnisi vana esse effugia,  
haud temere suspicabatur, hinc Venetis  
valere jussis Lugdunum, ubi Carolus tum  
agebat, contendit. Bimestre, aut paulo  
amplius effluserat ab adventu Regis  
in hanc urbem, cum nuncium accepisset,  
Delphinum unicum ejus filium vivis ere-  
ptum fuisse, quo tristi fato Rex ad tem-  
pus voluptatibus suis modum frenum-  
que injecit: verum paulo post ad pristi-  
nas suas cupiditates rediit. Anno mil-  
lesimo quadringentesimo nonagesimo se-  
cundo Delphinus sacro Baptismate ablu-  
tus, ac Carolus Rolandus nominatus est,  
& tertium nonnisi ætatis annum agebat,  
cum supremam vitæ diem clauderet.  
Præmaturo illius obitu Regina dolore  
nullis solatiis leniendo afficiebatur, Rege  
nequicquam mæstum illius animum re-  
creare intento.

§. LXXIV.



Sæcul. XV.  
A. C. 1495.

§. LXXIV.

*Mandata Regis de urbibus Florentinæ Reipublicæ reddendis neglecta.*

*Guic. 1. 2.  
Paul. Jov.*

Equidem Galliarum Rex pacto foedere Florentinis urbes suas restitui imperabat: ast minime res ad effectum deducta est; unde Florentini Oratores pactis integram fidem præstari, omni ope & opera contendebant: Venetorum autem Respublica Pisanis suppetias ferre simulabat, ne Florentini urbem hanc occuparent, quam tamen iidem Veneti re ipsa suo imperio adungere meditabantur: idem quoque consilium Ludovici Sfortiæ animo insedit, nec inanis erat illius spes; Pisani enim, ne denuo Florentinorum jugo subjicerentur, cujuscunque demum Principis imperio sese submittere parati erant: quapropter Florentinorum Oratores vehementer instabant, ut juxta datam sibi a Rege fidem urbes redderentur; Annuit Carolus Florentinorum postulatis, illosque, qui præfatas civitates tenebant, eas restituere jussit; hi vero obtemperare haud solliciti, illas Pisanis, ac Venetis pacto pretio vendiderunt. Carolus En-tragesio negotium dedit, Pisas, ceterasque Reipublicæ urbes Florentinis traderet; verum ille etiam jussa exequi neglexit.



glexit, ac repetita Gallicæ curiæ manda-  
 ta perperam elusit, vel Pisanorum auro  
 corruptus, vel secreto Regis mandato  
 instructus, quo his urbibus minime ex-  
 cedere jubebatur, vel demum mandatum  
 transgredi iussus a Cardinale Brissoneto,  
 qui Pisanorum fautor Entragesio pollici-  
 tus est, se illum, quidquid futurum esset,  
 semper metu ac periculo soluturum.  
 Quocirca hæc controversia non nisi in-  
 eunte anno sequenti composita est, &  
 quidem transactione non modo Floren-  
 tinis parum proficua, sed etiam admo-  
 dum molesta.

Sæcul. XV.

A.C. 1495.

## §. LXXV.

*Ferdinandi connubium cum Nepte  
sua.*

Ferdinandus unice eo curas intendit, ut *Marian. l. 26*  
 Gallos penitus e Regno Neapolis n. 62.  
 propulsaret, cumque rebus suis nullum  
 amplius præsidium in Mediolanensium  
 Ducis potentia repositum sciret, eo quod  
 ille reddita Novarræ urbe in gratiam  
 Caroli Regis rediisset, in Regis Catholici  
 auxilio omnem fortunæ suæ spem collo-  
 cabat: Is igitur, ut Regem hunc arctiori a-  
 micitiæ vinculo sibi devinciret, filiæ ejus  
 nuptias expetit: Ast Rex Catholicus  
 Neapolitani belli exitum, sortemque præ-  
 stolaturus, nullo certo responso postulata  
 exce-



Sæcul. XV.

A.C. 1495.

exceptit; unde Ferdinandus in aliis con-  
 filiis, atque nuptiis opem quærere com-  
 pellebatur, valuitque successus; quip-  
 pe paternus ejus Avus secundis nuptiis  
 sibi Catholici Regis sororem desponsave-  
 rat, atque ex hoc thalamo non nisi uni-  
 cam suscepit filiam tum duodecim annos  
 natam; equidem illa, cum Ferdinandi  
 Neptis esset, Neapolitano haud nubere  
 potuisset, quin publicæ honestatis leges  
 violaret: nihilominus ad hoc connubium  
 Ferdinandum stimulabat propriæ utilita-  
 tis ratio, quæ in præsentis rerum suarum  
 statu plurimum promoveri posset; hoc  
 enim novo amicitiae foedere Regem Ca-  
 tholicum facile induci sperabat, ut eum  
 adversus Gallos tueretur, eundemque, si  
 forte in Neapolis regnum jus quoddam  
 haberet, haud ægre ejusmodi juribus ob-  
 conjugalem societatem cessurum sibi pol-  
 licebatur. Præterea hæc nuptiæ po-  
 tissimis Italiæ Principibus probabantur,  
 ipse quoque Pontifex iisdem consensu suo  
 suffragatus est, atque impedimentum,  
 quod illas morabatur, auctoritate Apo-  
 stolica sustulit. Ergo Ferdinandus toti  
 consortem accepit Joannam Neptem suam,  
 Reginae viduæ filiam, ac Principem tre-  
 decim vel quatuordecim annos natam.  
 Commixtus hæc verba subjungit: *Hor-  
 renda res videtur hujus matrimonii com-  
 memoratio.*

§. LXXVI



## §. LXXVI.

*Rex Lusitaniae foederi adversus Gallos  
adscribi recusans.*

Sæcul. XV.  
A. C. 1495.

Ab eo temporis articulo foederati Principes nil intentatum relinquebant, ut ceteros quoque Principes societati suæ adversus Carolum Regem adscriberent. Ipse Rex Catholicus Lusitaniae, & Angliæ Reges aggregandi negotium in se suscepit: ast haud dissimulanter repulsam tulit a Lusitano, qui Hispaniæ Legato significabat, veteri amicitiae vinculo Lusitaniam Gallis esse junctam; illud ergo dissolvere, nec æquitatis, nec proprii honoris rationem suadere. Aliunde Lusitaniae Rex in Papam indignationem concipiebat, eo quod Georgium Filium ejus Nothum justorum natalium dignitate donare renuisset, hancque repulsam indigne ferebat, ut Maximilianum Imperatorem Patruelem suum ad cedendum juri, si quod nomine Eleonoræ Imperatricis Matris ejus in Regnum Lusitaniae haberet, inducere, illudque in Gregorium transferre conaretur; non enim ignorabat, nisi ille succederet, regnum, in quo hucusque pax florisset, certe diffidiis, ac tumultibus scissum iri. Ceterum in Anglia non modo Henricus VI. acriter stimulabatur, ut foederatorum socie-

*Marian. l. 26  
n. 60.  
Surita to. 5.  
l. 1. c. 99.  
Raynald.  
n. 45.*



Sæcul. XV. A.C. 1495. societati adversus Franciam nomen daret, sed etiam nuptiæ offerebantur Arturo ejus filio natu minori, ac Regni successori cum quadam Castellæ Infante, nomine Catharina: Nec consilium eventus fefellit; Henricus enim Legatos ad Ferdinandum, & Isabellam decrevit, qui has nuptias confirmari postularent; præterea Robertum Sherburnum Romam ablegavit, qui summum Pontificem ad armorum foedus adlegeret, quod & ipse die vigesima tertia Septembris anni sequentis ratum habebat.

§. LXXVII.

*Teneriffa Regibus Catholicis  
subiecta.*

*Marian. hist.  
Hisp. l. 26.  
n. 59.*

Jam plurimum annorum curriculum evol-  
vebatur, quo Rex Catholicus Insulas  
Canarias suo imperio subdicere, animo a-  
gitabat; hoc autem anno Alphonsus de  
Lugo hujus expeditionis Dux Teneriffam  
& Palmam Insulas Castellanae coronæ  
adjunxit. Harum prima prisco nomine  
Nivaria Insula vocabatur, atque amplo  
circuito circumscribitur, pluresque pagos  
& loca recenset, quorum præcipue hæc  
nomina celebrantur, Laguna, Diva Cruz,  
Gartico, San-Christovallis, & Rialejum.  
In eadem Insula exurgunt litora admo-  
dum alta, præprimis vero in illa memo-  
ratur



ratu dignus est Mons oppido sublimis, & Secul. XV.  
 medium occupans Insulæ, quæ Pic d' Adam A. C. 1495.  
 seu Tenariffa vocatur, eo quod altitudi-  
 ne ceteros omnes universi orbis montes  
 superare credatur; ejus enim fastigium ad  
 quindecim leucarum spacium attollitur,  
 illiusque culmen Adamante superbit,  
 quem nautæ licet quinquaginta aut sexa-  
 ginta miliarium intervallo discreti essent,  
 suis tamen telescopiis detexerunt, eum-  
 que hodie velut itineris sui indicem, du-  
 cemque respiciunt, ac communi ferme  
 suffragio potior Nationum pars lineam  
 Meridionalem per hunc montem ducit.  
 Hæc Insula, cum Hispanorum armis ce-  
 deret, Regi suo parebat, qui regno pulsus  
 Venetias contendit, ubi rei novitas, in-  
 culta Viri facies, vestes, idioma, atque  
 mores, Venetos in admirationem rapuere.  
 Suprema Canariarum Præfectura in labo-  
 ris præmium Alphonso de Lugo credita  
 est, cujus etiam solertiæ demandata est  
 ceteras Canariæ Insulas detegendi solli-  
 citudo, quæ postmodum Castellæ regno  
 perpetuo jure adjunctæ fuerunt.

§. LXXVIII.

*Joannis II. Lusitanicæ Regis  
 obitus.*

Postquam Lusitanicæ Rex foederi con- *Christoval de*  
 tra Gallos inito subscribere recusave- *Ferraria in*  
*Hist. Eccles. Tom. XXXI.* H rat, *vita Joa. II.*



Sæcul. XV. rat, haud diu amplius vita superstes erat,  
 A.C. 1495. sed die decima quarta Septembris, ut  
 Mariana testatur, seu ut alii volunt, vige-  
 surita to. 5. sima quinta Octobris hydropisi absum-  
 lib. 2. c. 15. ptus, vivere desiit Anno ætatis suæ qua-  
 dragesimo primo, Regni decimo quarto.  
 Tum Albori in Algarbia agebat, ubi Ter-  
 mis utebatur. Princeps erat virtutum  
 laude, ac æquitatis præstantia summe  
 commendandus, vitia plectendi, ac pro-  
 borum merita remunerandi studio insignis,  
 magnoque Christianæ religionis propa-  
 gandæ zelo clarus, nam is liberam Ver-  
 bum Dei in remotis Provinciis prædican-  
 di viam aperuit, unde & Magni cogno-  
 men emeruit: Hispani tamen Scriptores,  
 inepte licet, illum ignaviæ insimulant,  
 quod Pontificis, eorumque Regis fœ-  
 deri adversus Carolum nomen dare re-  
 cusasset. Sub primis Regni sui auspiciis  
 nonnulli Proceres Joannem Regem acriter  
 vexabant, ille vero dissipatis seditio-  
 nis eorum consiliis rebellionis principes  
 trucidari, atque inter ceteros Ferdinandum  
 Bragantiæ Ducem capite plecti ius-  
 sit. Denique incredibili ardore colonias  
 Lusitanas in Indiis, atque in Africa con-  
 stituere adlaborabat, atque complures  
 arces apud Guineas construi curabat,  
 qua ratione S. Evangelii Præconibus li-  
 ber ad barbaras gentes patebat accessus,  
 non sine maximo Religionis Christianæ  
 propa-

Guinee



propagatae incremento. Ejus Corpus in Sæcul. XV.  
 alio loco primitus sepultum, post annos A. C. 1495.  
 quatuor ad Majorum Lusitaniæ Regum  
 monumenta Aljubarotam delatum est,  
 ubi idipsum incorruptum ac integrum vi-  
 sebatur, imo populi credulitas illam mi-  
 raculis quoque inclaruisse affirmabat.

## §. LXXIX.

*Emanuel Beiræ Dux Joannis  
 Successor.*

Cum Joannes nullam prolem legitimam Marian. iô.  
 superstitem haberet, Alphonsus enim num. 61.  
 ejus filius ante obitum Patris e vivis ex-  
 cesserat, Successorem designavit Ema-  
 nuelem Beiræ Ducem, Patruelem suum,  
 ac Ferdinandi Visai Ducis Patruis sui Fi-  
 lium, cui tamen, si prolibus non reli-  
 ctis morte præriperetur, Georgium fi-  
 lium suum Nothum substituit, ac supre-  
 mum Ordinis Christi Magistrum, necnon  
 Conimbriæ Ducem nominavit. Ex eodem  
 quoque Georgio Duces de Aveiro origi-  
 nem trahunt, nominis gloria, atque po-  
 tentia inter ceteras Regni familias longe  
 celeberrimi. Ergo communi omnium  
 suffragio Lusitaniæ diadema Beiræ Du-  
 ci defertur, atque in urbe Alcasariensi  
 ad Sandanum Rex proclamatur, ubi tum  
 una cum Regina Sorore sua agebat, non-  
 nisi viginti sex annos natus. Sperneban-  
 tur



Ætate. XV. tur Maximiliani Imperatoris jura, vi quo-  
A.C. 1495. rum regni sceptrum sibi competere  
 contendebat, eoquod Beirensi Duce  
Comms. lib. 8. ætate major, proin annorum beneficio  
cap. 17. proximior hæres esset; adstipulatæ quo-  
 que sunt Maximiliano patriæ leges, quæ  
 in successione collateralibus tam ad  
 regni coronam, quam ad cetera bona non  
 stirpem, sed sexum, ætatemque eorum,  
 qui in eodem Gradu affines sunt, respi-  
 ciunt. Verum communis omnium con-  
 sensus Imperatoris rationibus prævaluit,  
 accessere etiam novi Regis præclaræ do-  
 tes, quibus nullo ea ætate Principum in-  
 ferior, plurimis superior existit. Hic qui-  
 dem a Rege Catholico sollicitabatur, ut se  
 Principum foederi contra Galliarum Re-  
 gem adjungeret, ipse tamen, prout Præ-  
 decessor ejus fecerat, suam cum Gallis  
 amicitiam obtendit, interea tamen suas  
 vires & foedus ad Hispaniæ fines ab om-  
 ni injuria tuendos libenter obtulit, si ne-  
 cessitas id exigeret.

## §. LXXX.

*Suppetiæ ab Emanuele Venetis con-  
 tra Turcas submissæ.*

Emanuel quieta regni possessione ade-  
 pta, mox Joannis II. Prædecessori  
 sui vestigia premens in Africam trajicere  
 statuit, novas de Mauris reportaturus  
 victo



victorias. Ergo exercitum conducit, pe- Sæcul. XV.  
A.C. 1495.  
ditum viginti sex millia, levioris arma-  
turæ equitum sex millia, ac octingen-  
tos cataphractos: Cum vero a Venetis  
rogaretur, ut eis contra Turcas, qui ur-  
bes eorum in Morea obsidebant, suppe-  
tias mitteret, quantocius decem arma-  
torum millia triginta navibus imposuit,  
eisque Joannem de Menesez, quem po-  
stea Taravæ Comitem salutavit, præfe-  
cit: unde ad tempus magis opportunum  
suam expeditionem in Africam proroga-  
vit. Ceterum classe ejus Venetias adpul-  
sa, Turcæ jamjam fuga dilapsi fuerant.

## §. LXXXI.

*Gabrielis Biel, Angeli de Clavasio,  
& Roberti Caraccioli obitus.*

Hoc anno Gabriel Biel patria Spirensis,  
ut nonnulli referunt Scriptores, na-  
turæ debitum reddidit, unde alii Histo-  
rici perperam illius mortem revocant ad  
annum Domini millesimum quingentesi-  
mum vigesimum. Is erat Theologiæ Do-  
ctor, ac Tubinganzæ Universitatis Profes-  
sor publicus, ab Evrardo Comite, qui  
hanc Academiam Anno millesimo qua-  
dringentesimo septuagesimo septimo con-  
didit, ad tradendam Theologiam, ac  
Philosophiam accitus, quo munere non  
sine magno Scholarium profectu defun-  
ctus



Sæcul. XV. A.C. 1495. ctus est. Verum post emensa plurium annorum studia, ad Deventinum Monasterium Ordinis Canonorum Regularium sese recepit, ibidemque solemniter votorum sponsione se obstrinxit. Idem Cognomen *Collectoris* emeruit, eoquod epistolarum seu collectorum circa quinque sententiarum libros edidisset: Præterea posteritati reliquit commentarium in Magistrum sententiarum, & expositionem super *Canonem Missæ*, in quo tamen ferme totum *Eggelinkum* Brunsvicensis transcripsisse videtur. Edidit etiam sermones varios, tractatum *de monetarum potestate & utilitate*, ac denique compendium libri *Guilielmi Okami*.

Eodem anno fati cessit *Angelus de Clavasio*, qui in quodam pago ejusdem nominis in *Genuensium* ditione natus, Ordinis *S. Francisci* Religiosus, ac *Cunei* in *Pedemontio* Vicarius Generalis renuntiatus est. Is scripsit casuum conscientie summam, quæ a suo nomine *Angelica* dicebatur, & primo *Venetis* anno millesimo quadringentesimo nonagesimo, quatuor autem post annis *Lugduni*, & demum *Parisiis* anno Domini supra millesimum quingentesimo sexto typis excusa prodiit. Idem etiam elucubravit tractatum *de restitutione*, aliumque, quem inscripsit, *arcam fidei*. Celebris



lebris Jurisconsulti æque, ac Theologi Sæcul. XV.  
A.C. 1495.  
nomen adeptus est, magni habitus a Sixto IV., ejusque Successoribus, qui eum Nuncii Apostolici dignitate honorabant, atque ad colligenda pecuniarum subsidia pro bello Turcico designabant.

Robertus quoque Caracciolus Licciensis, quod Licii in Neapolis regno natus esset, cognominatus, hoc anno extremum vitæ diem morte confecit. Feruentissimus erat verbi divini Præco, ac solidos quinquaginta annos de rebus divinis mira in dicendo efficacia ex suggestu verba fecit, ad ejus sermones populo omni ex parte certatim conflente, suoque zelo, atque eloquentia illius ævi genio accomoda insigne nomen *alterius Pauli* emeruit. Primis juventutis suæ annis Ordinem Fratrum Minorum professus, demum famæ, ac meritorum suffragio ad Episcopalem Aquilanæ Ecclesiæ sedem evehctus claruit. Acriter concionibus suis infectatus est depravatos ævi sui mores, fastum, ac Cardinalium, Romanæque Curiae luxum; varios etiam conscripsit sermones, præter tractatum de organizatione hominis, & speculum fidei christianæ, potissima ejus opuscula collecta, ac in tria volumina digesta literis Venetis anno millesimo quadringentesimo nonagesimo, ac Lugdunen-



Sæcul. XV  
A.C. 1495.  
dunensibus anno Domini quingentesimo tertio supra millesimum excusa prostant. Sepultus est Lugduni in monasterio Ordinis sui, ac legitur in ejus epitaphio duobus versibus latinis scripto, quod a tempore D. Pauli Prædicator eloquentia magis celebris in orbe non fuerit. Id fors contigit ex eo, quod illi, qui hocce versus scripserant, eo celebriorem ignorassent, vel quod tanto encomio Ordinis sui gloriam extollere nimium studiosi essent.

§. LXXXII.

*Cardinalis de Mendoza Archiepiscopi  
Toletani extrema.*

*Aubery hist.*  
*Card.*  
*Onuph. Ciac.*  
*Mariana.*  
Hoc anno in sacro Cardinalium collegio, vacuam sedem reliquit Cardinalis de Mendoza Archiepiscopus Toletanus, qui tunc extremum vitæ diem obiit. Is anno salutis millesimo quadringentesimo vigesimo octavo tertia Maji primam lucem aspexit, Innici Lopez Marchionis de Santigliana, & Catharinæ de Figuera Filius: cum vero scientiarum laude, jurisprudentia civili, & canonica, nec non aliis liberalibus artibus nemini coævorum cederet, hinc Alvarez ejusdem Patrus, Toleti Archiepiscopus Nepotis sui meritis permotus, illum Ecclesiæ suæ Archidiaconum nominavit.



navit, atque ad aulam Joannis II. Castellæ Regis ablegavit, cujus favore Calauritanus Episcopus nominatus est: Porro Henricus IV. Joannis II. Successor cum illo gravissima regni negotia partitus est, ac Seguntino Episcopatu auctum, Sixtus IV. ad instantissimas Regis preces purpura condecoravit anno Domini millesimo quadringentesimo septuagesimo tertio. Idem Henricus, qui anno sequenti fati cessit, postremæ suæ voluntatis executorem Mendozam scripsit; hic demum sacro Collegio adscriptus, vulgo Cardinalis Hispaniæ nuncupabatur, ac plurima, eaque insignia præstitit obsequia Ferdinando atque Isabellæ, dum illi contra Lusitaniæ Regem bellum gererent, ac Granatæ regnum Mauris eriperent. Denique Hispalensis, ac postea Toletanus Archiepiscopus renunciatus est, quam Ecclesiam, cum mira prudentiæ & sapientiæ laude rexisset, ineunte hoc anno undecima Januarii die ex hac vita migravit.)

## §. LXXXIII.

*Ximinius a Castellæ Regina ad Toletanam Sedem nominatus.*

Mendoza vivis erepto, ingentes exorti sunt tumultus, cum omnes Castellæ Proceres quemdam ex familia sua

H 5

pro-

Sæcul XV.

A.C.1495.



Sæcul. XV. propinquum Toletanæ Ecclesiæ præfici  
 A.C. 1495. contenderent. Ceteris potentior erat  
*Gonzalez de* Ferdinandi Regis Catholici auctoritas,  
*reb. gest. Xi-* qui Cæsar-Augustano Episcopo filio suo  
*memis. lib. 1.* Notho plurimum favebat, cum vero nomi-  
 nandi jus Isabellæ, utpote Castellæ Re-  
 ginæ, competeret, illa vero passim om-  
 nes conjugis sui spurios filios odio habe-  
 ret, suffragio suo delegit quemdam Mi-  
 noritam nomine Franciscum Ximenium  
 de Cisneros, qui Reginæ a Confessionibus  
 erat. Ergo Isabella animi sui pro-  
 positum nullatenus Ximenio manifestans,  
 clam diploma regium confici præcipit,  
 in quo vacuum relinqueretur spatium pro  
 inscribendo nomine illius, qui ad Archi-  
 episcopatum eligeretur, ipsa vero Xime-  
 nii nomen propria manu inseruit, ac di-  
 ploma Romam quantocius misit, ut nomi-  
 natio Apostolicis literis confirmaretur; an-  
 nuuit Pontifex, & Regina, vocato ad se  
 confessario suo, Papæ Bullas, quas in  
 jejunio verno obtinuerat, ex pera extra-  
 hit, & Ximenium alloquitur, dicens,  
 „has literas mox Roma accepi, quæ  
 „sua Sanctitas perscribat, inspice.”  
 Ximenius velut fulmine tactus hæsit,  
 cum legeret inscriptionem his verbis con-  
 ceptam: *Venerabili fratri nostro Francisco*  
*Ximenio electo Archiepiscopo Toletano.* Has  
 literas Ximenius nequidem aperuit, sed  
 eas duntaxat reverenter deosculatus Re-  
 ginæ



ginæ reddidit, inquit, „ Augustissima, Sæcul. XV.  
A.C. 1495.  
„ hæ literæ non ad me sunt directæ, „  
his dictis mox aula excessit, ad conven-  
tum suum rediturus, ut ibidem hebdo-  
madæ sanctæ exercitiis vacaret, hunc  
vero Archiepiscopatum nunquam acce-  
ptare, fixum in animo, destinatumque  
habebat. Regina, cum viri merita sibi  
fatis perspecta essent, nihilque in illo eo-  
rum, quæ ad obeundam hanc Ecclesia-  
sticam dignitatem in regno suo supremam  
requiruntur, in Ximeno desiderari cog-  
nosceret, ejus repugnantiam, virtutem-  
que plurimum admirabatur, nil tamen  
intentatum relinquebat, ut invitum li-  
cet, ad acceptandam sui electionem in-  
clinaret. Verum incassum omnia, ergo  
omnino Pontificis Maximi imperio eum  
urgeri oportuit, ut dignitatem accepta-  
re cogeretur, quam tot supremi Princi-  
pes immodice ambiebant. Itaque Ponti-  
ficis auctoritati tandem paruit Ximenius,  
illis tamen legibus, ut nunquam ab Eccle-  
sia Toletana dimoveretur, nec ullis Ar-  
chiepiscopatus præ reliquis in toto Chri-  
stiano orbe ditissimi pensionibus grava-  
retur, ac denique ne Ecclesiæ suæ pri-  
vilegia, atque immunitates ullo pacto la-  
befactarentur.



Sæcul. XV.  
A. C. 1495.

§. LXXXIV.

*Judicium Cameræ Imperialis a Maximiliano Imp. institutum.*

Hoc anno in Comitibus Imperii Wormatiæ celebratis Maximilianus Imperator supremum Cameræ Imperialis judicium instituit, ex consilio Bertholdi Archiepiscopi Moguntini, qui firmum fixumque tribunal erigi maxime necessarium duxit, eo quod ipse diu Archicancellarii munere in Imperio functus vidisset, summa cum litigantium molestia causas protrahi. Igitur hoc judicium primo Norimbergam anno salutis millesimo quingentesimo primo, ac secundo post anno Ratisbonam in Bavaria inferiore translatum est, postea anno millesimo quingentesimo nono Wormatiæ denuo institutum, inde vero quarto post anno Spiram, ac tertio anno millesimo quingentesimo vigesimo primo Wormatiam, & post tres annos Eslingam, tandem vero anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo septimo Spiram translatum est, ubi hactenus viget, Carolo V. firmum, stabilemque illius locum anno millesimo quingentesimo trigesimo ibidem decernente. Vi Pacis Westphalicæ huic judicio præfunt Judex religione Catholicus, & quatuor præfides, duo Catholici ac totidem Pro-

*Serrarius  
hist. Mogun.  
lib. 5.*



Protestantes, præter quinquaginta Con-  
 filiarios, quorum viginti sex Catholici, Sæcul. XV.  
A.C. 1495.  
 viginti quatuor vero Protestantes sunt.  
 Judex, qui Princeps aliquis seu Comes,  
 seu Baro esse debet, nec non quatuor  
 Præsides, quorum duo Sagi, ceteri to-  
 gæ dotibus eminentes sint, ab Impera-  
 tore nominantur. Hodierno autem tem-  
 pore horum Ministrorum numerus decre-  
 vit, solusque Elector Trevirensis, utpo-  
 te Spirensis Episcopus, hujus tribunalis  
 Judex salutatur, nec plures quam duo  
 Præsides, unus Catholicus, alter Pro-  
 testans, & quindecim Consilarii, octo  
 Catholici, & septem Protestantes nume-  
 rantur.

## §. LXXXV.

*Gallorum res in Italia inclinatae.*

Interim continuo in Italia tumultus fer-  
 vebant, & Gallorum res de die in diem  
 semper magis pessumibant; Neapolitani  
 enim seditione mota Ferdinandum in sua  
 Metropoli receperunt, Papa etiam tan- Guic. lib. 3.  
Belc. lib. 7.  
 topere Gallis indignabatur, ut Genuen-  
 sibus, ne ulli Franciæ Regis navigio  
 transitum concederent, interdiceret;  
 Veneti quoque, cum rebus suis hoc bel-  
 lum sat propitium esset, diffidia fovere  
 satagebant, quibus accessit Ludovici  
 Sfortiæ Mediolanensium Ducis perfidia,  
 &



Sæcul. XV.  
A.C. 1496.

& Caroli Regis negligentia, qua in Gallias redux feliciter parta segnius tuebatur; verbo, cuncta ista Gallorum rebus in Neapolis regno extremum præfagebant exitium; His nec immerito subiungi potest summa Brissoneti Cardinalis avaritia, qui pro suo arbitrio totam Regis aulam moderabatur, continuoque moras necebat, forte, ut summi Pontificis, quocum clandestinam consiliorum communicationem habere credebatur, gratiam aucuparetur, aut certius, ut commodis suis tam in Francia, quam in Italia melius consulere. Denique ipsi met Galli ad interitum suum ultimam admovebant manum; corruptis enim eorum moribus, atque in rebus gerendis imprudentia adeo prostrata est illorum gloria, ut demum toto Neapolis regno pel-lerentur, & Albinus Mompenserio Puteolis defuncto, ut mox memorabimus, exercitus reliquias in Gallias reducere compelleretur; hæc omnia Guicciardinus, Belcarius & Comminæus fuso calamo describunt.

## §. LXXXVI.

*Rex Angliæ fœderi Principum Italiæ  
adversus Gallos adscriptus.*

Burch. MS.  
arch. Vat.  
fig. n. 104. l. 2.

Cum vero eo tempore Gallorum res necdum penitus corruissent, atque Pontifi-



Pontifex, necnon fæderati Principes con-  
 filia sua ad optatum exitum deducere  
 desperarent, quamdiu ceteri Principes  
 obfisterent; ideo illos ad suas partes per-  
 trahere, præcipua omnium erat sollici-  
 tudo. Equidem, ut supra meminimus,  
 Lusitanæ Rex fœderatorum conatibus,  
 ac suasionibus surdas præbebat aures,  
 unde Angliæ Regem ad mutuum armo-  
 rum societatem pellicere conantur. Hic  
 quidem ob Perkini turbas domesticis re-  
 bus implicitus, ab exteris belli negotiis  
 alienus, suisque fœderatis auxilio fe-  
 rendo impar credebatur, missis ta-  
 men Legatis illum sollicitant, ut amici-  
 tiæ cum Gallis nuncium mitteret, eo-  
 rumque vires inopina in Picardiam irru-  
 ptione potenter distraheret. Hosce Le-  
 gatos Henricus, cum nullam gloriæ suæ  
 augendæ occasionem prætermitteret,  
 haud vulgaribus benevolentia signifi-  
 cationibus Londini excepit; verum a pri-  
 stinis suis rationibus haud unquam rece-  
 dere solitus, bellum Gallis nunciare,  
 Angliæ regno minus proficuum fore ar-  
 bitrabatur, præcipue in præsentis rerum  
 vicissitudine, ubi Angli captata exteri  
 tumultus occasione facile prætensis Per-  
 kini juribus suffragarentur; quapropter  
 se apertum Caroli hostem profiteri re-  
 nuit, pollicitus tamen, se summo Pon-  
 tifici, ejusque fœderatis auxilia submis-  
 surum.

Sæcul. XV.

A.C 1496.

Raynald. ad  
ann 1496.  
num. 1.

Bacon hist.

Regni Hen-  
ric. VII.



Sæcul. XV. surum, hancque mutuæ defensionis so-  
A.C. 1496. cietatem anno Servatoris millesimo qua-  
 dringentesimo nonagesimo sexto die vi-  
 gesima tertia Septembris ratam habuit.

## §. LXXXVII.

*Lætitia Romanorum ob præfatum  
 fœdus.*

Quamvis Foederati in promisso Henri-  
 ci VII. auxilio non nisi infirmum ha-  
 berent præsidium, nec magnos armo-  
 rum progressus inde sperare possent, ni-  
 hilominus accepto fœderis nuncio Roma-  
 ni communi gaudio triumphabant; ex-  
 eunte enim mensè Julio dicta armorum  
 societas, quamvis ab Anglo necdum fir-  
 mata esset, solemniter publicabatur, &  
 Dominica ultima ejusdem mensis sum-  
 mus Pontifex, comitantibus eum cun-  
 ctis Cardinalibus, consueta pompa equo  
 vectus procedebat ad Ecclesiam S. Ma-  
 riæ de populo, ubi Bartholomæus Ar-  
 chiepiscopus Cosentinus solemnè sacrum  
 de Spiritu sancto celebrabat in gratiarum  
 actionem pro eo, quod Rex Angliæ fœ-  
 deri inter Papam, Imperatorem, Hispa-  
 niæ Regem, Venetos, & Mediolani Du-  
 cem dudum contra Franciam publicato  
 nuper nomen dedisset. Peracta re divi-  
 na, antequam Papa populo bene preca-  
 retur, Adrianus de Corneto Clericus Ca-  
 mera



meræ Apostolicæ, veste, quam *cappam* Sæcul. XV.  
 vocant, indutus, ac Pontificis pedem de- A.C. 1496.  
 osculatus suggestum conscendit, orationem huic solemnitati congruam declamaturus; Tandem Papa pœnarum condonationem publicavit, quam hymnus Ambrosianus consueto ritu decantatus excepit, cui Pontifex versiculos, & orationem subjunxit, ac Benedictionem impartitus est, demum vero eo ordine, quo Ecclesiam accesserat, palatium suum repetiit.

## §. LXXXVIII.

*Mediolanensium Dux omnes pacti conditiones transgressus.*

Fœderati Principes ampla hac potentissimi auxilii spe animos erigunt, atque abolita, quam Galli sibi primo in Italia conciliaverant, nominis fama, Ludovicus Sfortia, Novarrensi urbe recuperata, de data Francis fide minime anxius erat; quinimo Pisas sibi subicere molitur, seque apertum Galliarum Regis hostem profitetur, eoquod ille duas arces hujus Reipublicæ præcipuas sibi cedere recusasset, unde Ludovicus valido militum agmine in Pisanam ditionem irruit. Ast cum Entraguius, qui urbi ac Pifarum statui præerat, ex præsidiis expeditam militum manum contraxisset, Seresfanellam adco copiose cunctis ad sustinea-



Sæcul. XV.  
A.C. 1496.

stinendam obsidionem necessariis munivit, ut Fœderatorum audacia plurimum lanquesceret, cumque imminens hyemis asperitas diutius ibidem hærendi spacium militibus præriperet, Fœderati Pisas occupandi consilium dimittere compelluntur, obsessis infracto robore urbem tuentibus.

§. LXXXIX.

*Florentinorum urbes ab Entraguiis divenditæ.*

Com. 1. 2.

c. 14.

Guic. 1. 2.

Entraguius ex hoc Fœderatorum damno non parum res suas auxit; mox enim Pisanam arcem numerata viginti millium aureorum summa incolis tradebat, quo facinore, inquit Comminæus, duplex Sacramentum Regis violavit; bis enim Florentinis juraverat Carolus, quod eis Pisanam arcem unacum aliis oppidis restituere velit. Præterea cum de Serefsana, & Serefsanella civitatibus cum Genuensibus ageretur, itidem Florentini has urbes recuperandi spe exuebantur, nec non a possessione urbis Petræ sanctæ arcebantur, cum hæc sex aureorum millium pretio Luccensibus divenderetur. Ergo Pisani primo arcem, quæ illos diuturna servitute coercuit, solo æquant, & Papam, Venetos, Ludovicum, nec non Italiæ Principes exorant, ut illos



in suam fidem adversus Florentinos recipere. Hac Entraguii imprudentia Carolus Rex suppetiis frustrabatur, quae a Florentinorum ditione pro expeditione Neapolitana sibi promiserat, unde Entragulum exilio multavit, a quo tamen brevi revocatus est; Comes enim Ligniacensis, quamvis & ipse haud levioris, quam Entraguius erroris culpa teneretur, in intima Regis tamen familiaritate versabatur, tantaque apud eum gratia, & auctoritate valebat, ut nullo negotio Entraguius amico suo redeundi veniam impetraret, ac ipse, quamvis delicti sui gravitas severissimas exposceret poenas, impunis tamen evaderet (\*).

Sæcul. XV.

A. C. 1496.

## §. XC.

*Mediolanensis Ducis conatus de Medicis Florentiam revocandis.*

Ludovicus dissipato Pisas occupandi Belcar. lib. 7. consilio, recta ad alia media accingitur, foederatis exponens, Petrum de Medicis pristino Florentinorum regimini reddendum esse; sperabat enim se hac via

Guic. lib. 3.

I 2

(\*) Severissimam sane poenam promerisset; testatur enim Comminaus cit quod hæc venditio facta fuerit cum summa Regis infamia, Gallici nominis dedecore, & integra Regni Neapolitani amissione.



Sacul. XV. A.C. 1496. via Pisis potiturum, si rursus Florentinis  
 ad urbem regressus patesceret, eo quod  
 id etiam antea Petrus Gallis concessisset, ea tamen lege, ut Florentinis avita eorum libertate frui liceret. Tandem, ægerrime licet, Ludovicus scederatos, ut ejus consiliis annuerent, induxit, atque Virginio Ursino summum rei exequendæ negotium demandavit. Hic ergo copias suas Cortonæ admovet, spe fretus, occupata urbe Florentinos mox sese ejus imperio subjecturos. Verum hi explorato, quod Virginus clam in urbe fovebat, commercio præsidia commutant, novis copiis augment, proditionis auctores, sociosque castigant, ac primas Virginii legiones, quæ urbi propius accedebant, captivas abducunt, ipse quoque Ursinus paulopost a Ferdinando injuria affectus, scederatorum stipendia deseruit, quo factum, ut Medicæorum familia nonnisi post ementum septendecim annorum intervallum pristinae dignitati Florentiis redderetur: indigno enim animo ferebat Ursinus, quod non sine suo damno Ferdinandus Connestabilis honorem Columnensibus detulisset; quocirca, qui paulo ante Gallis acriter adversabatur, jam eorum partes tuendas suscepit, atque in auxilium Caroli trecentos cataphractos, ac tria peditum millia contraxit, ut Roberti de Lenon-  
 curtio



curtio Victoriacensis Provinciae Præsidi, Sæcul. XV.  
ceterisque Franciæ belli Præfectis jun- A.C. 1496.  
ctus, Ferdinandum oppugnaret.

§. XCI.

*Auxilia a Mompenserio petita  
parantur.*

Eodem tempore tota belli moles Apu-  
liensibus impendebat, fortuna tan- *Guic. lib. 3.*  
tisper Gallorum rebus adspirante; cen- *Belcar. l. 7.*  
tum enim pedites Natione Germani a  
Foederatis in Ferdinandi auxilium sub-  
missi copiarum, quas Mompenserus du-  
cebat, numero opprimebantur, tam com-  
muni clade affecti, ut ad unum omnes  
trucidati perirent. Galli delibuta hac vi-  
ctoria Foveam perveniunt, ac priusquam  
Ferdinandus urbis muniendæ labores ab- *Foggio.*  
solveret, eum ad pugnam provocant, ir-  
rito tamen Gallorum ausu; Ferdinan-  
dus quippe eorum conatus ludibrio ex-  
cepit, ac Mompenserus, postquam vici-  
nam regionem devastasset, ad urbis mæ-  
nia sese recipere compellebatur. Verum  
vix discesserat, cum Ferdinandi exerci-  
tus novis copiarum suppetiis, quas Mar-  
chio Mantuanus, alique adducebant,  
plurimum augeretur, quarum potentia  
Mompenserus resistendo impar, Bello-  
quadrensem Senescallum inducere cog-  
ebatur, ut Gallias repeteret, atque auxi-  
lia



Sæcul. XV. lia accerseret. Senescallus accepto negotio Regem, qui Lugduni agebat, adiit, A. C. 1496. ejus etiam postulata secundis auribus accipiuntur, cunctisque ea insedit opinio, Gallici nominis honorem exposcere, ut Neapolitana expeditio urgeretur. Horum rationibus accessit quoque auctoritas Comitum de Montorio a Neapolitanis Andegavenfi factioni addictis in Gallias missi, necnon Cardinalis S. Petri ad vincula, Caroli ab Ursinis, Vitellosii e Vitellorum familia natu minoris, & Trivulcii, qui omnes jurati erant Ludovici hostes.

*Bellcar. &  
Guic. l. c.*

Rex horum rationibus expugnatus, animo constituit, tria militum agmina conducere, quæ superatis Alpibus in Italiam penetrarent; præterea decrevit, ut primo agmini, quod octingentis cataphractis, bis mille Helvetiis, totidemque Vasconibus constaret, Trivulcius imperaret, ac primo Astam contenderet, ibique præstolaretur Aureliæ Ducem, qui validiori adhuc milite stipatus sequeretur, si tamen se ei jungere velit, dato insuper eidem negotio, ut Mediolani Ducem infestis armis aggredi simularet, ut eidem terrorem incuteret. Hic idem Aureliæ Dux secundo agmini præesse jubebatur; Rex vero extremam aciem ducere constituerat, reliqua Nobilium corona munitus. Præterea valida



Sæcul. XV;  
A.C. 1496.

da illuc destinabatur classis, cujus naves  
Massiliæ convenirent, adjunctis etiam vi-  
ginti aut triginta triremibus; cum vero  
hæc classis ea celeritate, quam præsens  
Mompenserii periculum, necessitasque  
exigeret, expediri non posset, sancitum,  
ut naves, quæ velis quam citissime ferri  
noscantur, instruerentur, eæque magis  
necessarium belli apparatus Mompense-  
rio adveherent. Insuper Rex Mediolani  
Ducem a Foederatorum studiis avertere  
conabatur, ille vero a Gallis spoliari ve-  
ritus, haud flecti poterat.

§. XCII.

*Ludovicus Gallorum apparatu  
territus.*

Bellici hujus apparatus fama Ludovici  
animum vehementer terruit, hinc il-  
lico Venetos, quæ in Galliis agerentur,  
edocuit, eorumque opem imploravit,  
Imperatorem quoque, ut ipse toto ar-  
morum robore in Italiam veniret, solli-  
citavit. Ast Veneti amplis pollicitatio-  
nibus Ludovicum lætabant, qui tamen  
jæde anxiiis suis curis minime liberaba-  
tur, maxime eo nomine, quod Trivul-  
cius jamjam Astam pervenisset, atque  
Aureliæ Ducis sarcinæ illuc deportaren-  
tur; haud immerito Ludovici timor au-  
gebatur, veritus, ne e Mediolani Ducatu  
pelle-

Com. lib. 2.  
cap. 15.



Sæcul. XV.

A.C. 1496.

pelleretur; non enim Gallos latebant fre-  
 quentes illius perfidiæ, fractaque No-  
 varrensis pacti fides. Nihilominus Au-  
 reliæ Ducis inconstantia, Regisque exi-  
 gua animi firmitas brevi Ludovicum me-  
 tu liberabat: Aurelianensis enim quam-  
 vis maxime e re sua fuisset, ut Mediola-  
 ni Ducatus occuparetur, exercitus ta-  
 men imperium omnino recusabat; nam  
 inter plures alias rationes, ob quas e reg-  
 no excedere renuebat, potissima erat,  
 quod cum unicus Caroli VIII. Filius non  
 ita pridem fato concessisset, ac vix ulla  
 alterius generandæ prolis spes Regi su-  
 peresset, ipse Aureliæ Dux proximus  
 regni hæres salutaretur, proin adeo re-  
 motæ expeditioni sese implicare, incon-  
 sultum fore sibi videretur; hac præcipue  
 ratione Dux suam Alpes transeundi re-  
 pulsam excusabat; igitur supremum ex-  
 ercitus imperium Trivulcio deferebatur.

## §. XCIII.

*Gallorum res in Neapolis Regno  
 inclinatae.*

Omnes istæ consultationes haud qua-  
 quam inclinatas Gallorum res in Ita-  
 lia restaurabant. Jam primo Vere Fer-  
 dinandus, & Mompensierius suas quis-  
 que copias in aciem educebant, ille qui-  
 dem Circajum Montem obsedit, hic vero Gallo



Gallo ad varia certamina abstracto obses-  
 sis opem ferre adlaboravit, armisque in-  
 festis Frangetum cinxit, inde enim Cir-  
 cajum expugnantibus commeatus adve-  
 hebatur. Vix eo delatus, impetum in  
 urbem fieri jubet, ast ejus copiis primo  
 repulsis, Mompenserius soluta Circaji  
 Montis obsidione Frangetensi urbi auxi-  
 lium laturus accurrit, quam tamen con-  
 tinenti incendio deletam repererat; ca-  
 ptam enim Ferdinandus comburi jusse-  
 rat: unde Mompenserius Circajum re-  
 versus, obsidionem restaurat, inani ta-  
 men successu; quocirca obsidione soluta  
 Ferdinandum ad pugnam provocare sta-  
 tuit. Ille autem proelii discrimen expe-  
 riri recusans, Mompensarium nonnisi  
 crebris velitationibus laceffere decrevit,  
 haud dubius, eum brevi annonæ penu-  
 ria pressum stationem mutare compul-  
 sum iri. Nec sua eum opinio fefellit; Mom-  
 penserius enim paulopost Arianum ver-  
 sus recedere cogebatur, ubi totus, quem  
 ex Neapolitanis contraxerat, equitatus  
 tanto numero ad hostes transfugiebat,  
 ut ne unus quidem amplius Gallorum  
 signa sequeretur. Hac militum desertio-  
 ne ad tantas redigebatur angustias, ut  
 copias suas in aciem educere minime va-  
 leret, sed quærere asylum compellere-  
 tur, cujus præsidio tutus ab hoste inter-  
 cipi



Sæcul. XV. cipi non posset, donec suppetias ex Gal-  
 A.C. 1496. liis recepturus esset.

## §. XCIV.

*Mompenserus Arpinum profugus,  
 ibidem inclusus.*

**E**rgo Galli Arpinum contendunt, quæ  
 est longe munitissima Basilicatæ urbs,  
 in æquo campo sita, quam colles paulu-  
 lum e planitie surgentes, ac viarum an-  
 gustiæ cingunt, arxque Gesualda nomi-  
 ne velut porrecto aggere, primævo na-  
 turæ genio firmat; Ferdinandus tam-  
 presso vestigio fugientium Gallorum ter-  
 gis imminabat, ut his Arpinum ingre-  
 dientibus, ipse jamjam arcem obsideret,  
 tantaque dexteritate præsidiorum ani-  
 mos inclinaret, ut eadem adhuc die ar-  
 cem suo subjiceret imperio; qua parta  
 Mompenserii consilia in irritum cecidere,  
 cum ipse annona, atque equorum pabu-  
 lo destitutus esset. Accessit quoque ad  
 malorum cumulum seditio pedestris exer-  
 citus, qui præter sexcentos Germanos  
 nonnisi Helvetiis constans, integer reli-  
 ctis Gallorum signis ad Ferdinandi vexil-  
 la transibat; quocirca Mompenserio nil  
 reliquum erat, quam ut sese Albini co-  
 piis jungeret, qui tum cum periculoso mor-  
 bo conflictabatur; inde Foederatorum res  
 augebantur; quippe eo facilius Confal-  
 vus



vus Manfredoniam, Cosentiam, ceterasque urbes in suam potestatem redigit; equidem Albinus Consalvo victori opponerebat Moretum Comitem, & Albertum Sanseverinatem, qui copias Hispanis numero ferme pares contraxerant, hostemque e Calabria pellere speraverant; nec infaustum erat Martis auspici-um; nam jamjam Hispanis Lainoum eripiebant, in qua urbe nuncium acceperunt, qui eis Mompenserii nomine præcepit, ut relictis omnibus copias suas Mompenseriò sociarent. Jam in eo erant, ut jussa exequerentur, cum Consalvus comperto horum discessu, prima vespera Castrum - Villarum contendit, ac postera die albescente celo tam Moretum, quam Albertum in stratis suis non minus quiete stertentes offendit, perinde ac si nulli omnino timori locus esset, quapropter ambos captivos abduxit, Hispanis interea urbem ingredientibus, qui nequidem excubias in statione, aut vigiliis, vel quemcunque alium hominem, qui irumpentes indicaret, reperiebant.

Consalvus felici hoc successu Calabriam a Gallorum metu penitus liberabat; unde copias suas Ferdinando, qui Arpinum cinctum tenebat, conjunxit, Gallosque, dum eis a se captorum numerum, ac eorum exercitum, quem ferme totum



Sæcul. XV. totum jamjam subegerat, ostendebat, fat persuasos reddidit, quod nulla ipsis amplius in Neapolis regno auxilii spes superesset; posthæc promissa expensarum compensatione inducebantur Veneti, ut copias Arpinum submitterent, ductore Marchione Mantuano, cui datum erat negotium, ut septingentos cataphractos, mille levioris armaturæ equites, ac quindecim millia peditum Ferdinando adjungeret; Consalvus quoque victrices suas copias Arpino admovit, cunctaque hæc agmina junctis viribus Mompenserium tam arcte cinxerunt, ut negata exercitus sui equos adaquandi libertate, sui etiam milites ad sedandam sitim aqua dulci destituerentur.

## §. XCV.

*Mompenserijs ad deditiois pacta compulsus.*

*Guicc. hist.  
Ital. lib. 3.*

Recensebantur in urbe adhucdum septem Gallorum millia, quos inter non pauci nobilitate generis conspicui numerabantur; omnes communi, eaque extrema premebantur rerum inopia. Equidem Vitellius urbe eruperat, annum advecturus; ast in insidias, quas eodem Consalvus paraverat, incidit, atque amissa tertia suorum parte ægre admodum fuga sese morti subduxit. Super-



pererant adhuc Mompenserio extra Ar-  
pini muros quædam pistrina, sed & illa  
Consalvus aggreditur, captaque igne ab-  
sumit, & Helvetios & Vascones, qui ea  
tuebantur, trucidat. Ad primos hujus  
certaminis rumores Galli Nobiles, con-  
scensis equis, erumpunt, campum jam-  
jam deperditum recuperant, Hispanos  
cædunt, eosque pedem ad sua castra re-  
ferre compellunt, captis quam plurimis  
fossoribus; demum veluti in victoriæ tro-  
phæum bestias cornibus armatas, quæ  
hosti adducebantur, in urbem agunt;  
nec tamen pistrinorum incendium extin-  
quere valebant. Itaque Mompenserius  
extrema quæque perpeffus, fecialem ad  
Ferdinandum ablegat, hic vero primum  
sine ambage Gallis denunciat, victorum  
arbitrio sese committerent: ast illi clare,  
ac perspicue respondent, se potius ferro  
ex urbe sibi viam aperire velle, ne saltem  
inulti perirent. Tandem igitur Ferdi-  
nandus ad mitiora descendens, eis dedi-  
tionis leges præscripsit, quæ die vigesi-  
ma mensis Julii utrinque conclusæ fue-  
runt, sequentibus articulis conceptæ.

## §. XCVI.

*Deditionis conditiones.*

- I. Concedantur triginta dierum indu-  
ciæ, quibus durantibus nec Gal-  
lis

*Guic. l. 3.  
Comm. lib. 8.  
c. 14. p. 165.*



Saecul. XV. A. C. 1496. ibidem munire, nec foederatis eos  
 ibidem aggredi liceat. II. Singulis die-  
 bus omnibus Gallis ad victum necessaria  
 subministrentur. III. Mompenserio libe-  
 rum sit, Galliarum Regem de hoc pacto  
 edocere, sique evolutis triginta diebus  
 suppetiæ ad resistendum idoneæ non mit-  
 tantur, Mompenserus Ferdinando non  
 modo Arpinum reddat, sed ceteras om-  
 nes quoque urbes, quæ ejus imperio sub-  
 sunt tam in Regno Neapolitano, & in  
 Calabria, cui Albinus præest, quam  
 etiam in Aprutizio, quod Gratiano de  
 Guerres paret, exceptis nihilominus ur-  
 bibus Tarento, Cajeta, & Venusia. IV.  
 Has urbes omni tormentorum genere,  
 quo tum instructæ reperiuntur, munitas  
 relinquat. V. In Gallorum arbitrio po-  
 situm sit, an mari vel terra in Franciam  
 reverti vellent, eorum tamen itineri  
 necessaria suppeditentur, eisque Sarcin-  
 as suas, arma, & equos secum deferre  
 liceat. VI. Iisdem quoque privilegiis  
 fruantur Itali Gallorum stipendia meren-  
 tes. VII. Neapolitanis, qui Andega-  
 vensis partes sequebantur, omnia eorum  
 bona restituantur, eisque plena præteri-  
 torum oblivio concedatur, dummodo  
 hanc veniam intra quindecim dierum  
 spacium petitori essent, quo elapso ab ea  
 excludantur. VIII. Denique Mompens-  
 erius non teneatur suis Præfectis urbium  
 dedi-



deditionem præcipere, nisi prius tradan- Sæcul. XV.  
 tur obsides, a quibus tam adimpleti quam A.C. 1496.  
 violati mandati hujus ratio jure exigi  
 possit.

## §. XCVII.

*Mompenserijs captus, ejusque exerci-  
 tus fame atque ærumnis ab-  
 sumptus.*

Jam triginta dierum induciæ ad ultimum Comm. l. 8.  
 usque exactæ sunt, nec tamen ulla c. 14.  
 navis, aut ullæ copiæ, quæ Gallos exi-  
 tii metu liberarent, advenerant; unde  
 Mompenserijs plena, ac integra fide,  
 quæ pollicebatur, adimplevit, seque cum  
 toto exercitu ex quinque, aut ferme sex  
 millibus constante Victoribus tradidit.  
 Hos jure belli captos Ferdinandus exeun-  
 te Mense Augusto Neapolim abduci  
 jussit: Cum vero Carolus Galliarum Rex  
 Mompenserijs æque, ac ceteris Præfe-  
 ctis Pro-Regis dignitatem, officiumque  
 ea lege concessisset, ut ipsi literis proprio  
 chirographo signatis pollicerentur, se ur-  
 bes sibi creditas nullatenus hosti tradi-  
 turos, nisi hæc literæ ipsius Regis jussu  
 exhiberentur; cumque illas Carolus se-  
 cum in Gallias detulisset, atque ad eas  
 repetendas non sufficerent triginta illi  
 dies deditionis legibus concessi, hinc  
 Mompenserijs datæ fidei satisfacisse ex-  
 istima-



Sæcul. XV.  
A.C. 1496.

istimabat, si Ferdinandi Commissariis omnes syngraphas, quas a Gubernatoribus urbium suo imperio subjectarum scribas accepit, exhiberet. Ast Ferdinandus ipsas quoque literas, quas tamen Rex in manibus habebat, sibi tradi postulabat, quod cum fieri haud posset, Ferdinandus occasione inde captata Mompenserium unacum suis copiis in exilium ablegabat ad oram maris in quasdam regiones, quæ ob aeris malignitatem autumnali tempore ab incolis frequentari non possunt; hinc ex toto Gallorum exercitu intra exiguum temporis spacium nequidem mille quingenti, ex trecentis vero ac mille Helvetiis nonnisi trecenti vitam superstites erant; ceteris omnibus morborum violentia absumptis; Famuli autem, quorum maximus erat numerus, in suo in Franciam itinere ipsis designato fame, atque ærumnis confecti perierunt.

§. XCVIII.

*Mompenserii Comitis obitus.*

Ceterum, cum Mompenserus Marchionis Mantuani sororem tori sui sociam haberet, tanta inter utrumque necessitudo, ac vetus amicitiae usus intercesserat, quantam diversa, quæ quilibet sequebatur, studiorum ratio indulgere poterat; quapropter Mantuanus cognita loci



loci, ad quem Mompenserius relegatus Sæcul. XV. A. C. 1496.  
 erat, iniquitate nil intentatum reliquit, ut auctoritate, ac gratia, qua apud Ferdinandum valebat, impetraret, quatenus ex Regis venia Sororius ejus Mantuam sese recipere posset; id quoque, ut referunt nonnulli, precum ipsius importunitati datum est. Verum Mompenserius Commin. l. 8. c. 14. ad fin.  
 indecorum ratus, concessam acceptare gratiam, qua uti non liceret, nisi Gallos, quorum imperium sibi a Rege creditum erat, præsentia sua destitueret, ideo firmum, ratumque habuit, communi cum eis fato mortem oppetere, spe fretus, Carolum Regem conjugis suæ, ac liberorum curam in se suscepturum. Obiit re ipsa Puteoli die quinta Octobris Anno reparatæ salutis millesimo quadringentesimo nonagesimo sexto, febris consumptus, quam sibi ex tædio accersiverat, ægerime ferens, se a Galliarum Rege penitus derelictum, ac nequidem sibi submissa fuisse illa quadraginta aureorum millia, quæ quidem Carolus Lugduni agens, Briffoneto Cardinali tradidit, ut ea ad Mompenserium perferri curaret, ille vero hanc summam in alios usus convertit, vel in gratiam Pontificis, ut ejus adversarii calumniabantur, vel ut opposito Regis mandato obtemperaret, qui Neapolis occupandæ animum abiecerat. His addit *Comminæus*, quod Mompenserium Hist. Eccles. Tom. XXXI. K vene-



Sæcul. XV. veneno extinctum fuisse, rumor in vulgus  
A.C. 1496. sparserit, sed nullo satis firmo testimonio.

## §. XCIX.

*Ursini, sollicitante Papa, a Ferdinando  
custodiæ dati.*

*Mariana  
l. 26. n. 68.*

Ursini, qui secundam, & adversam Gal-  
lorum fortunam pari constantia se-  
quebantur, cum illis quoque Arpini in-  
clusi hærebant, proin extremis calamita-  
tibus exponebantur. Accessit Alexandri  
Pontificis odium; hic enim propinquos  
suos intra Ecclesiæ territorium bonis au-  
gere adlaborabat, cumque absque Colu-  
mnensium, & Ursinorum dispendio id ex-  
equi haud posset, utramque familiam per-  
dere animo constituit, consilii sui execu-  
tionem auspiciatus ab Ursinorum familia,  
cum illa viribus ac potentia inferior es-  
set (\*). Ergo datis ad Neapolis Regem  
literis

(\*). *Virginii Ursini calamitas propria ejus  
culpæ, non vero Alexandri odio attribuenda  
est: merito enim a Sede Apostolica perduc-  
tionis crimine damnatus est, eoquod ab Alexan-  
dro sæpius admonitus, ut relictis Francia su-  
diis utpote Romancæ Ecclesiæ cliens Pontificis  
partes tueretur, ipse tamen spreto tam Pontifi-  
cis anathemate, quam insuperhabitis Casaris  
Hispaniæ Regis, Venetorum, ac Mediolanensium  
Ducis*



literis Urfinos custodiæ mancipari jubet; Rex Pontificem veritus, ut ei obtemperaret, datam fidem fregit, ac Virginium Urfinum, necnon Jordanum ejus filium, pluresque alios Italiae Principes comprehendit, ac in carceres compingi præcepit: Vitellium quoque eadem poena mulctari desiderabat Pontifex, ut Tiphernatensem illius Principatum aucupari posset; ast ille ad Mantuæ Marchionem confugerat, qui eum tradere negabat, quamvis ad id precibus ac minis urgeretur, quibus ille flecti nescius, Vitellium Mantuam conduxit, ubi eum detinuit, donec periculi metus cessasset.

## §. C.

*Galli toto Neapolis regno pulsi.*

Interim Cajetæ, ac Tarenti urbium gubernatores tam segniter hostium impetus retundebant, ut satius fuisset, si Mompenserii deditioem & ipsi acceptassent. Porro Sullyus Tarenti Præfectus ibidem

*Marian. hist. Hisp. l. 26. n. 68.*

pesti-

Ducis precibus, cum maximo Ecclesiæ damno copiis succinctus in Neapolis Regnum Sedi Apostolicæ beneficiario jure obnoxium contra ejus Regem populabundus irruerit. Consulatur lib. 7. Bullar. secret. p. 246. Et 341. ubi Virgini crimina fusa recensentur.

K 2



Secul. XV. pestilentia confectus obiit: Gratianus  
A.C. 1496. vero de Guerres Cajetæ Præfectus pa-  
 etis deditiois conditionibus urbem Hi-  
 spanis cæssit; magna enim navis, quæ ex  
 Normannia Cajetano præsidio commea-  
 tum subvehebat, post acre certamen  
 cum Genuensium navibus prope Portum  
 Herculis initum, suborta tempestate flu-  
 ctibus hausta periit. Posthæc cum Con-  
 salvus Arpino in deditioem accepto, re-  
 cessisset, Albinus hujus absentia in rem  
 suam versa, quamplurimas Calabriæ ur-  
 bes, quas dedere compellebatur, recupe-  
 rat, totamque ferme Provinciam ad Gal-  
 lorum obsequium revocat: Consalvus  
 autem re comperta mox in Calabriam  
 reversus, tanta animi fortitudine in Gal-  
 los irruit, ut illos in fugam ageret; sup-  
 petiis enim, quas Albinus speraverat, o-  
 mnino destituti erant: Gabriel quoque  
 de Montefalcone, in cujus animi magni-  
 tudine Albinus plurimum reponebat, ad-  
 primum Consalvi occursum ultroneam  
 deditioem obtulit; Cum igitur Galli  
 hostium viribus indies auctis resistendo  
 impari essent, Albinus Arpini pacta ex-  
 equi compulsus, ex Italia excessit, atque  
 in Gallias rediit.



## §. CI.

Sæcul. XV.  
A. C. 1496.*Ferdinandi Neapolitani Regis obitus;  
Fridericus ejus Patruus  
successor.*

Ferdinandus Neapolis Rex, cum in summo gloriae fastigio consisteret, victoriarum sator, ad Sommam urbem fecisset, fractas belli laboribus vires refecturus. Verum livida mors Regi quietis spacium invadebat; ibi enim in gravem alvi fluxum incidens, quem morbum ex conjugis suæ consortio contraxisse fertur, die septima Octobris e vita migravit; Paucos quoque ante menses Alphonsus ejus Pater in quodam Siciliae conventu Fratrum Montis Oliveti, quorum institutum professus erat, vitam morte commutabat, proin duorum annorum spacio Neapoli quinque Reges imperabant. Hi erant Ferdinandus de Arragonia senior, Alphonsus ejus filius, Ferdinandus ejusdem Nepos, Carolus Galliarum Rex, Ferdinandus junior, qui abs liberis decessit, ac demum Fridericus hujus successor, in cujus obsequium Neapolitani Andegavensium partibus olim addicti, jam ambabus ulnis rediere; cum enim cum Ferdinando de concordia agere absterrentur ex eo, quod illum vindictæ, cædisque cupidum crederent, Friderici

Comm. l. 7.

c. 11.

Guicc. l. 3.

Paul. Jov.

Mariana

lib. 26, n. 76.



Sæcul. XV. autem, qui illius Patruus erat, modera-  
A.C. 1496. tionem a Ferdinandi indole longe alie-  
 nam cognoscerent, hinc isti sese eidem  
 subjecerunt. Hic quoque suæ benigni-  
 tatis auxilio ea, quæ ejus Avus, Pater,  
 Frater & Nepos frustraneo conatu tenta-  
 bant, feliciter perfecit, Nobilium ani-  
 mos sibi devinxit, ac cum illis sincero a-  
 nimo in gratiam rediit, necnon prædia  
 beneficiaria eis vi ablata restituit, &  
 quamprimum temporis ratio permitteret,  
 proventus resarcire pollicitus est. Haud  
 parum ad firmandam hanc concordiam  
 contulit Galliarum Regis morositas, qua  
 Neapolitanos partibus suis addictos co-  
 lere neglexit, aliunde vero tunc vindictam  
 sumere intentus erat de Regis Catholi-  
 ci perfidia, atque ingratitude, qua pa-  
 cta post restitutum Ruscinonensem Co-  
 mitatum inita violabat.

## §. CII.

*Initia atque inducice belli Franciam  
 inter & Hispaniam.*

Hispani, cum Galliarum Regis consilia  
 omni, qua possent, arte dissiparent,  
 in Occitaniam ex Narbonnensi ora popu-  
 labundi excurrunt; ast primos eorum au-  
 sus brevi arrepti consilii poenitentia ex-  
 cepit: Carolus enim Albonensis San-An-  
 dreanus, qui Borbonii Ducis in hac re-  
 gione



gione vices gerebat, collectis protinus copiis, ac militibus provincialibus Salsulas urbem obsidione cinxit, ac post decem horarum certamen obsessos ad deditionem compulit, quamvis satis valido præsidio urbs munita esset, & Castellatorum exercitus nonnisi unica leuca distaret; perierunt in hac obsidione quinquaginta duo Nobiles, ac inferioris conditionis quadringenti Viri. Nihilominus Carolus Galliarum Rex hoc bellum, quod magno utrinque furore cæptum est, prosequi rebus suis minime congruere reputabat; quapropter Albenensi, qui muri ruinas sarcire meditabatur, præcepit, ut Salsulas urbem in eodem rerum statu, ad quem tormentorum impetu redacta est, relinqueret, ac cum suis copiis in Occitaniam contenderet: igitur Hispani Gallis a civitate discedentibus revertuntur, aggeres reparant, novos construunt, urbemque tot propugnaculis firmant, ut munitissimas quasque arces in finibus positas facile superaret. Paulo post iidem de belli successu timidi, mox pacis consilia agitabant, unde exeunte hoc anno inter utramque Nationem pactæ sunt induciæ, ea lege, ut Rex Catholicus a Mediolanensis Ducis partibus deficeret, eoquod prior ipse in Vercellis foedere Hispanorum societati nuncium misisset. Ceterum ad hanc armorum



Sæcul. XV  
A. C. 1496.

cessionem Rex Catholicus inducebatur, eo quod arma sua ad Africæ oram adversus Mauros extendere, fixum in animo haberet: quocirca induciæ primum nonnisi bimestres, demum ita prorogatæ sunt, ut integræ pacis brevi consecuturæ pollicitatio accederet.

§. CIII.

*Nuptiæ Philippi Austriaci cum Infante Joanna.*

*Marian. hist.*  
*Hisp. l. 26.*  
*n. 69.*

Fœdere supra memorato conventum erat, ut Regia Princeps Joanna secundo genita Ferdinandi & Isabeltæ filia nuberet Philippo Austriæ Archiduci, Maximiliani Imperatoris Filio, duodeviginti annorum Principi; hæc itaque in Laredono portu classem a Rege Catholico instructam conscendit, ac die vigesima secunda Augusti secundis velis in Flandriam navigavit, ipsa Isabella Regina filiam suam ad portum usque comitante; Fridericus vero Henriquez summus militiæ terra marique Præfectus Sponsam conduxit in Flandriam, ubi dignitati debebantur, honoribus excepta est, ac die vigesima prima Octobris Anno quadringentesimo nonagesimo sexto supra millesimum solemni ritu Philippo juncta est.

§. CIV.



## §. CIV.

Sæcul. XV.  
A. C. 1496.*Italorum Principum Fœdus cum Maximiliano adversus Gallos.*

Plurimum turbatæ, fractæque erant foederatorum vires pace nuper a Ferdinando cum Gallis inita; ergo partes suas reficere satagunt nova armorum societate, quam cum Maximiliano Imperatore paciscuntur, eo promittente, seipsum, si foederati viginti duo aureorum Rhenanorum millia in singulos menses numerarent, in Italiam venturum cum valido exercitu suis sumptibus alendo. Galli ex adverso, qui adhucdum in Italia hærebant, quosdam Principes ad arma concitare conantur, præcipue vero Ferrariæ Ducem, qui Venetis, quod eum Peninsula Rhodigiana spoliassent, nec non Ludovico, qui eis operam suam locabat, summe infensus erat; Præterea Dux Ferrariensis non modo Florentinos, sed etiam Mantuæ Marchionem ad suas partes trahebat; illum enim Veneti ab exercitu sui imperio nuper amoverant: Florentinorum quoque exemplum imitabatur Bentivolius, probe edoctus, quod Pontifex Bononiam, ut illius possessionem cuidam ex suis Filiis Nothis vindicaret, vi occupare meditaretur. Accesserant etiam Jordanus Urfinus, & Al-



Sæcul. XV. A. C. 1496. vianus, qui ex carcere, in quem Ferdinandi jussu detrudebantur, elapsi fidem dederunt, se Gallis quingentos levioris armaturæ equites suppeditaturos; Frater quoque Cardinalis S. Petri ad vincula Romanæ urbis Præfectus totidem pedites transmittere pollicitus est. Hisce copis Trivulcius Astæ commorans præficietur.

## §. CV.

*Ordines Regni a Lusitanicæ Rege convocati.*

*Marian. l. 26*  
*n. 70.* Sub idem ferme tempus Emanuel Lusitanicæ Rex adepto regni solio generalis status sui Ordines Montemauri prope Eburam convocabat, ut ex eorum consilio publica Regni sui negotia in ordinem redigeret. Intererat quoque Georgius defuncti Regis filius Nothus, nonnisi quatuordecim annos natus unacum Didaco Almeyda supremo Ordinis S. Joannis Magistro ejusdem Moderatore. Hunc Rex haud vulgaribus amoris significationibus excepit, professus, quod illum velut Patrem suum veneraretur, atque ab eo tanquam illius filius haberi vellet. Postea Emanuel Oratores ad Castellæ & Arragoniæ Reges ablegabat, qui de consensu a se throno eosdem edoceret, alios quoque decernebat ad Alexandrum sum-



summum Pontificem, eidem tanquam Christi Vicario obsequium delaturos: Præ-  
 terea per universum regnum promulga-  
 ri præcepit edictum, quo Judæi a fer-  
 vitate ipsis a Rege defuncto imposita ex-  
 imebantur; novus enim Rex muneris sui  
 partes deposcere autumabat, ut illos  
 pristinae suæ libertati redderet, eorum-  
 que calamitates, ac conditionis suæ mi-  
 serias temperaret. Agebatur etiam in hi-  
 sce comitiis de rebus Africae, atque illuc  
 mittebantur copiae comiteatu, bellicue  
 apparatu ubertim instructæ, eo fine, ut  
 urbes recens partæ ad propulsandos Mau-  
 rorum impetus longe munitissimæ red-  
 derentur.

## §. CVI.

*Lusitanorum bellum in Africa adver-  
sus Mauros.*

Tunc temporis Lusitanorum imperio  
 subjecta erat Septa, quam urbem *Marian, ibi.*  
 Joannes I. Mauris eripiebat: Iisdem quo-  
 que parebant Tingis & Arzilla. Hæc  
 oppida ab ea, quæ occidentem respicit,  
 parte Oceani oris adjacent, atque ab  
 Alphonso Regis Patruo, domitis in-  
 fidelibus, non modo fortiter parta,  
 sed & solerter conservata fuere: Cum  
 vero Joannes Menesez Arcillæ urbis Præ-  
 sectus intelligeret, quod vicini quidam  
 Pagi



Secul. XV. A.C. 1496. Pagi solitum tributum pendere recusarent, illos ad officium armis compellere statuit, sui que consilii participem reddidit Tingis Præfectum, qui ambo collectis viribus ad præfatos pagos contendebant, eo animo, ut illos omnino exspoliatos demum comburerent. Ast incautius incidebant in quoddam validissimum Maurorum agmen, cui Barraxa & Almandaria, ambo Duces ea ex gente ceteris animi fortitudine longe celeberrimi, imperabant; nihilominus Lusitani Maurorum exercitum, quamvis numero longe superiorem, profligant, ac potissima eorum parte trucidata, ceteros in fugam agunt. Interea Rex ingravescente pestilentia, Montemaurana Comitata solvere compulsus, ad jejunii verni initia Setubaliam secessit, ut Reginam Viduam, ac Isabellam sororem suam officiosa salutatione ibidem præveniret.

## §. CVII.

*Bragantiæ Dux in Patriam redire  
a Rege Lusitano per-  
missus.*

*Marian. ib.*  
n. 72.

In hisce Comitibus regni Ordines exponerant, Alvarum Bragantiæ Ducem, qui post Patris sui obitum relicta patria in Castellam aufugere cogebatur, unacum liberis



liberis suis in Lusitaniam revocandum esse. Rex ipse ad concedendam redeundi libertatem sat propensum fovebat animum: verebatur tamen, ne malam præcipitis consilii notam sibi inureret, sui que Prædecessoris memoriam diffamare argueretur, si ab eo sancita mox sub primis regni sui auspiciis immutaret: aliunde etiam, cum solium nondum satis firmum teneret, prudentiæ leges dictabant, ut suorum animos plurimum sibi devinciret, minime vero illos, qui longo temporis spacio horum exulum bona ærario addicta tranquille possidebant, irritaret: prævalebat tamen filialis ejus in Ducissam Matrem pietas & amor, suarumque sororum, ac propinquorum preces, jugibus permixtæ lacrimis. Ergo Filium, ac Bragantiæ Ducis liberos, cunctosque, qui hos regno proscriptos sequebantur, revocat, in illos vero, qui horum bona sibi vendicabant, in damni compensationem adeo liberali manu beneficentia effundit, ut neminem mutatae conditionis suæ poeniteret, unde per universum regnum generosus Regis animus plenis buccis deprædicabatur: quinimo iidem, quibus propriæ utilitatis ratio Principum horum reditum dissuadere videbatur, ejusdem revocationem suo quoque suffragio comprobare, amica quadam vi compellebantur.

§. CVIII.



Sæcul. XV.  
A. C. 1496.

§. CVIII.

*Isabella regia Castellæ filia a Lusitano  
Rege in Sponsam petita.*

*Marian.  
l. cit. n. 73.*

Communi voto cuncti Proceres exoptabant, ut Lusitanix Rex tum vigesimum sextum ætatis suæ annum jam egressus, tori sociam sibi deligeret, nec uberius regno prosperitas accedere credebatur, quam si Rex Catholicus novo affinitatis vinculo Emanueli devinciretur. Equidem Hispano quatuor filix erant, quarum reliquas ætate præcedebat Isabella, eamque sequebatur Joanna, & tertio genita extitit Maria, ultima denique Catharina; ex his Joanna in Flandriam abiit Philippo Archiduci desponsata, Catharina vero Arturo primogenito Angliæ Regis filio in conjugem destinata erat, & Isabella, quam Alphonsus nonnisi duodeviginti annos natam viduam reliquerat, sui juris erat, hinc Ferdinando sola supererat Maria, quam ejus Pater lubenti quidem animo Lusitanix Regi in matrimonium dedisset, Emanuel vero illam respuebat; cum enim Isabellam natu majorem ejusque merita jam eo tempore, quo juveni Alphonso Principi juncta erat, perspecta haberet, semper illam plurimi habebat, teneramque amicitiam erga eandem conservabat.



servabat: Cum ergo Rex Catholicus Sæcul. XV. A. C. 1496.  
semper propriæ (\*) utilitati intentus  
esset, Isabellam induxit, quatenus inter  
prima nuptiarum pacta, ut Mauros ac  
Judæos regno suo expelleret, ab Ema-  
nuele peteret, eidemque exponeret, nun-  
quam se nupturam Principi, cujus re-  
gnum Christi ac fidei orthodoxæ hostium  
receptaculum esset.

## §. CIX.

*Edictum Lusitanicæ Regis adversus  
Mauros & Judæos.*

Lusitanicæ Rex, cum matrimonii cum  
Isabella ineundi desiderio æstua-  
ret, cuncta quæ illa petebat, ingenti facilita-  
te pollicitus est, hacque super re Sena-  
torum suorum sententias rogavit, quo-  
rum tamen potissima pars Regis voto ob-  
luctabatur; Nihilominus spretis horum Marian. l. 6.  
consiliis, Rex exeunte hoc anno novum  
edictum promulgari præcepit, quod prio-  
ri, cujus supra meminimus, prorsus op-  
positum

(\*) Forte melius: *Religionis Catholicæ in-  
cremento intentus.* Si enim Rex Catholicus  
privato magis, suoque quæstui quam commu-  
ni fidei commodo intentus fuisset, nec ipse  
Judæos regno suo expulisset, cum ab eis haud  
exiguas tributorum pensiones sperare po-  
tuisset.



Sæcul. XV.

A.C. 1496.

positum erat: In eo enim tam Mauros, quam Judæos omnes, qui in Lusitania degebant, jussit intra certum tempus toto regno abscedere, proposita servitutis poena, si qui post præfixum tempus persistere auderent. Mauri quidem mandato parebant, atque in Africam continuo trajiciebant: Judæis vero obtemperare cunctantibus, Rex novo edicto jussit eos, qui nondum decimum quartum ætatis annum excessissent, a parentibus abstrahi, eosque invitis licet eorum Patre ac Matre religionis Christianæ disciplina imbui. *Insolens decretum, inquit Mariana, a legibus & institutis Christianis abhorrens maxime, malum si cogas homines Christiana sacra suscipere? libertate cælo data in re omnium gravissima spolies, quos Deus sui arbitrii esse voluit? grave id piaculum sit, ac ne filios quidem a parentibus eo studio abstrahere liceat: in utroque tamen gens Lusitana peccavit, pueris enimvero sine voluntate parentum ad baptismum violenter raptis, atque majoribus natis, ut Christo darent nomina, convitiis & contumelia vexatis, ac nominatim discedendi famelitate per fraudem sublata, cujus necessitas erat imposita: ita plerique servitutis metu dederunt manus, quidam sincera voluntate, pars multo maxima temporis servientes animo simulato: cujus rei deinde clara documenta extiterunt: multi ad patriam superstitio-*



stitutionem, quam rejecisse visi erant, cum ignominia Christiani nominis reversi. Subjunct Spondanus: hoc adeo molestum fuisse miseris parentibus, ut fuerint, qui filios in puteos abjecerint, multi qui sibiipsis mortem propriis potius manibus consciverint, quam quod filios suos Baptismo initiari passi fuerint.

Sæcul. XV.

A.C. 1496.

## §. CX.

*Papa a Rege Lusitanicæ de consilio expeditionis in Africam certior factus.*

Idem Rex Emanuel concepto Africani belli consilio Georgium Albanensem Episcopum Romam ablegabat, ut expeditionis in Mauros suscipiendæ propositum summo Pontifici exponeret, ejusque assensum, ac favorem imploraret. Lubenti animo Alexander petentis voto annuit, hancque in rem Regi diploma concessit hoc anno decima tertia Septembris editum, quo Papa concedit, ut omnes utriusque sexus Christi fideles, qui duo regalia argentea (\*) pro infirmis militibus curandis, ac etiam pro ædificandis Ecclesiis in locis, quæ ab infidelium

*Raynald. hor  
ann. n. 28.  
lib. 7. Bull.  
secret. p. 370.*

(\*) Est Nummus Hispanorum argenteus, qui octavam Imperialis partem adæquat.

*Hist. Eccles. Tom. XXXI,*



Sæcul. XV.  
A.C. 1496.

lium manibus eripientur, necnon pro ornamentis ecclesiasticis ad divina inibi celebranda officia pie erogaverint, in omnibus suffragiis precibus, eleemosynis, jejuniis, orationibus, carnis macerationibus, ceterisque omnibus spiritualibus bonis, quæ fient, & fieri poterant, in tota universali Christi militante Ecclesia, & omnibus membris ejusdem, participes in perpetuum fiant: plures etiam indulgentias idem Pontifex illis concessit, qui expeditionis hujus signa secuturi essent, aut in sumptus bellicos quovismodo opem conferrent.

## §. CXI.

*Nubendi facultas religiosis Lusitaniæ Equitibus a Pontifice concessa.*

*Marian. l. 26  
n. 74.  
Oferius lib. 1  
Raynald. hoc  
anno n. 33.  
lib. 7. Bull.  
pag. 205.*

Pontifex die vigesima Mensis Junii nuper elapsi aliam edidit Constitutionem, qua soluto perpetuæ continentiæ vinculo trium Ordinum militarium Equitibus in Lusitania existentibus, qui in posterum dictis militiis nomen daturi essent, matrimonium inire concessit: summus enim Pontifex hac indulgentia publicæ equitum libidini occurrere studebat, nec id abs re fuerat; hac enim via Lusitaniæ regnum ab ingenti illa Nothorum multitudine, ac turpi natalium macula



cula purgari poterat. Quidam hanc Pontificis agendi rationem ratam habebant, illamque tanquam prudens remedium, ac necessarium severioris disciplinæ moderamen deprædicabant: Alii ex adverso contendebant, legem adeo sancte stabilitam perperam fuisse immutatam, cum satius fuisset, peccata luxuriæ in his equitibus per alia remedia præcavere, servata legum firmitate; maxime etiam dolendum quidam ajebant, quod hac venia passim optima horum ordinum bona a zelo ac fidelium pietate large errogata dissiparentur, ac propter nuptiarum curas antiquus ardor militandi pro fide Christiana restingeretur, ordinumque bona in Aulicorum delicias, qui castra nunquam secuti fuerant, conferrentur.

## §. CXII.

*Ordo S. Michaelis a Papa confirmatus.*

Olim Ludovicus XI. Galliarum Rex Anno salutis Lib 7. Bull. secret. p. 144. millesimo prima Augusti Anno salutis quadringentesimo sexagesimo nono Ordinem equestrem S. Michaelis instituit: Cum igitur pro ejusdem approbatione Carolus VIII. supplicem libellum Sedi Apostolicæ porrexisset, hinc Alexander Pontifex diplomate die decima tertia Novembris præsentis anni hanc



Sæcul. IV. in rem edito hunc Ordinem equestrem  
 A.C. 1496. confirmavit.

## §. CXIII.

Titulus CATHOLICI Regibus  
 Hispaniæ datus.

Comm. 1. 2.  
 6. 17.

Idem Pontifex Hispaniæ Regi, ejusque  
 successoribus perpetuo jure cognomen  
 Catholici confirmavit: eo enim Inno-  
 centius VIII. Alexandri Prædecessor jam  
 antea ob devictum Granatæ regnum,  
 crebrasque victorias Ferdinandum ho-  
 norabat. Equidem Alexander, ut testa-  
 tur Comminæus, splendidum Christianis-  
 simi Regis titulum, a Francorum Rege  
 in Hispaniæ Reges transferre decreve-  
 rat; verum Cardinales quidam acriter  
 obsistebant, Pontifici exponentes, satius  
 esse, si Ferdinandum Regis Catholici no-  
 mine decoraret, Galliarum vero Regi ti-  
 tulum ipsi a Sede Apostolica longævo  
 abhinc tempore concessum confirmaret.  
 Unde halucinatur Mariana, dum innuit,  
 nonnisi ante aliquot annos Pium II. Pon-  
 tificem Ludovico XI. nomen Regis Chri-  
 stianissimi attribuisse. Haud quidem dif-  
 fitemur, quod Papa hunc Regem ea  
 appellatione coluerit: ast id fecit non ex  
 recenti concessione, sed antiquissima tem-  
 porum memoria, ut idem Pius II. in epi-  
 stola ad Carolum VII. Ludovici XI. Pa-  
 trem

Marian. lib.  
 26. n. 69.

Pi II. epist.  
 385.



trem scripta indicare videtur, *Habitus es, Sæcul. XV.*  
 inquit Papa, *charissime fili, devotissimus A.C. 1496.*  
*Princeps fidei, & religionis nostræ præci-*  
*puus: Nec immerito ob Christianum nomen*  
*egregie a progenitoribus tuis defensum, NO-*  
**MEN CHRISTIANISSIMI** *ab illis*  
*hæreditarium habes. Ferdinandus vero*  
*Cognomento Catholici non sine invidia,*  
*atque Regis Lusitani indignatione ab Ale-*  
*xandro insignitus est, qui etiam apud*  
*Romanam Sedem graviter hac super re*  
*conquestus legitur, nec contentio cessa-*  
*verat, donec universa Hispania sub unius*  
*Regis dominium, scilicet Philippi II. re-*  
*dacta esset.*

## §. CXIV.

*Novi Cardinales ab Alexandro  
 creati.*

Die decima nona sequentis Februarii *Raynald. hoc*  
 Purpuratorum Senatus ab Alexan- *annon. 38.*  
 dro Papa sex Cardinalibus augebatur (\*) *Surita to. 5.*  
 quorum *l. 2. c. 40.*  
*lib. 7. Bull.*  
*secret. p. 361.*

(\*) Paggius in hanc rem observat, quod  
*Continuator Hist. Eccles. Abbatis Fleury inco-*  
*gitans scripserit, Alexandrum die decima no-*  
*na Februarii anni sequentis 1497. sex Cardina-*  
*les creasse, Odoricum Raynaldum hoc anno*  
*num. 38. pariter Suritam tom. 5. lib. 2. cap. 40.*  
*petulantius citaverit, cum tamen Raynaldus loco*  
 L 3 *laudato*



Sæcul. XV. quorum nomina sunt, I. Philippus Luxemburgius natione Gallus, Episcopus Atrebatensis, postea Cenomanensis, Presbyter Cardinalis tit. SS. Petri & Marcellini, Episcopus Albanensis, ac Tusculanus. II. Bartholomæus Martini Hispanus Segoviensis Episcopus tit. S. Agathæ. III. Joannes de Castro itidem Hispanus, Episcopus Agrigentinus in Sicilia, & Administrator Ecclesiæ Slesvicensis in Dania, tit. S. Priscæ. IV. Joannes Lopez natione Hispanus, Episcopus Perusinus & Archipræsul Capuanus tit. S. Mariæ trans Tiberim. V. Joannes Borgia, Hispanus, Pontificis Nepos, Episcopus Melfitanus Cardinalis Diaconus tit. S. Mariæ in via lata. VI. Denique, Ludovicus de Arragonia Ferdinandi I. Neapolitani Regis nothus Filius, Averfanus Episcopus, postea Legionensis in Hispania, Cardinalis tit. S. Mariæ in Cosmedin. Eo tempore Borgia absens erat; tum enim apud Neapolis Regem Legationis munere fungebatur.

§. CXV.

*laudato dicat Cardinalium Senatuum hoc anno multum fuisse, & laudat Burchardum, qui quatuor tantum Cardinales recenset. Haud tamen dissimulare debemus, quod in editione Parisiensi non legatur, ab Alexandro die 19. Februarii anni sequentis, sed duntaxat Februarii sequentis Purpuratos fuisse creatos.*



## §. CXV.

Sæcul. XV.  
A. C. 1496.*Margarita Archiducissa Filio Hispaniæ Regis nupta.*

Faustas, quas Joanna Hispaniæ Regis filia cum Philippo Archiduce contraxit, nuptias excepit connubium Margaritæ pariter Maximilliani Imperatoris filia. Matrimonium hoc apud Cæsarem conciliabat nominatissimus Joannes Manuel natione Castellanus. Igitur cum Joanna Hispaniæ Regis filia vix Gandavum pervenisset, Archiducissa Margarita inde recedebat, Hispaniæ Principi nuptura; hinc Flessingæ conscendit prætoriam navim classis ad Sponsam in Hispaniam deducendam instructæ, tandem post superatam horrendæ tempestatis vim non sine iterato, eoque manifesto vitæ discrimine, Hispaniæ portum ingressa est; terrestri demum itinere Burgim, tum temporis Castellæ Metropolitim contendit, ubi Reges Catholici adventantem Sponsam excipiebant, & Ximinius Toletanus Archiepiscopus, utpote Hispaniæ Primas, nuptiarum pompam sacris cæremoniis augustiorem reddebat.

L 4 §. CXVI.



Sæcul. XV.

A. C. 1496.

§. CXVI.

*Maximiliani Imp. adventus in Italia.*

**I**mperator gemino affinitatis foedere cum Regibus Catholicis contracto, in Italiam proficisci constituit, ac alpis transmissis, mille equitibus, ac quinque peditum millibus stipatus, Longobardiam ingreditur, suasque copias Mediolanensium Duci adjunxit; inde enim viribus auctus, Trivulcio jamjam occurrenti sese opponere valebat. Hic Franciæ Marscallus Astam usque processit, ac in quadam eminenti colle castra posuit. Ludovicus Dux minima quæque Trivulcii molimina explorans, arcana ejusdem consilia detexisse sibi persuadebat, ratus, haud alio ex fine a Trivulcio hunc castrorum situm fuisse delectum, quam ut eo securius Genuæ Fregosio juniori, & Savonæ Cardinali S. Petri ad vincula, quibuscum secreta fovebat consilia, sese conjungere posset; nil firmius igitur in animum adducebat Ludovicus, quam quod Trivulcius alterutri huic urbi copias suas admoturus esset, hinc utramque urbem potissima militum parte, quos Mediolani habebat, munivit.

§. CXVII.



## §. CXVII.

Sæcul. XV.  
A.C. 1496.*Occasio Mediolanum occupandi a Trivulcio neglecta.*

**I**nde vero Trivulcii fautores, quos Mediolani sibi adhucdum devinctos tenebat, seditionem concitandi opportunitatem captabant, ac confestim turmas suas per plateas dividunt, ad arma conclamant, nullaque mora facialem ad Trivulcium ablegant, qui eum de moto in urbe tumultu edoceret, ac significaret, eadem si in ipso temporis articulo accurreret, certo urbem fore tradendam: Ast ille segnior ad credendum, patriam suam honorifice recuperandi occasione frustratus est, cum tamen Ludovicus urbem nonnisi quingentis equitibus, peditumque sex millibus munitam teneret, & hæc exigua militum manus Gallorum exercitui, quem seditiosi introduxissent, resistendo impar fuisset.

## §. CXVIII.

*Maximilianus Neapolis regnum Genaro suo vindicare molitus.*

**H**oc facto Paulus Fregosus Genuam venit, ultra progredi haud ausus; Cardinalis vero S. Petri ad vincula in itinere a copiis sibi per Trivulcium transmissis derelictus, re infecta redire compulsus



Sæcul. XV. A.C. 1496. sus est, ipse Trivulcius ad eas redigebatur angustias, ut Noviam, & Boscum exigua duo oppida occupare cogeretur, quæ tamen parta tueri exercitus sui impotentia prohibebat; nimum enim vicina erant hæc loca Alexandrinæ urbi validissimo præsidio munitæ. Cuncta hæc gerebantur, priusquam Cæsar Italiam salutasset: hic vero quamprimum advenerat sese Ludovico adungebat, atque in primo belli Senatu foederatis exponebat, regiminis normam hucusque Neapoli stabilitam omnino immutandam esse: Gemino enim affinitatis vinculo Hispaniæ Regi adstrictus, parique cum Regibus Catholicis commodi studio incitatus, Neapolis Regnum Genero suo afferere nitebatur, eo usus obtentu, quod Alphonsus Arragonius regnum licet armis partum, nullo tamen pacto in Ferdinandum filium suum Nothum transferre potuerit, excluso Joanne fratre suo legitimo, qui Hispaniæ Principis nuper cum Cæsaris filia desponsati Avus paternus erat.

## §. CXIX.

*Sabaudicæ Dux, alique Papiam venire a Cæsare iussi.*

*Marian. hist. Hisp. l. 26.* Verum Foederati hæc Cæsaris consilia unanimi suffragio rejiciebant, partim



tim quod Fridericum suæ societati adscriptum velut legitimum regni Successorem venerarentur, partim quod eum solo haud deturbare possent, quin ideo Gallis Italiam repetendi occasionem præberent. Ergo saniori consilio Gallos Asta propellere adlaborant; hæc enim unica erat urbs, quæ adhuc trans Alpes Gallorum parebat imperio, eaque adeo firmiter munita, ut illam oppugnare non auderent, haud tamen veriti, ne Trivulcius intercluso comœatu foederatorum copias fame pressas facile extenuaret. Ceterum Maximiliano permagni intererat, ut nominis sui famam glorioso facinore illustraret, unde Sabaudia Ducis, & Montferrati ac Saluciarum Marchionibus significat, ut Papiam venirent, eoquod ipse in illa urbe Longobardici Regni coronam accepturus esset, proin ipsi in hac solemnitate, utpote S. R. Imperio obnoxii clientelare obsequium profiterentur; eo tamen potissimum nomine Cæsar illos accersivit, ut a Gallorum amicitia eos absterreret.

## §. CXX.

*Liburnum ab Imperatore frustra  
obsessum.*

Verum hi Duces Cæsar's mandata exequi parum curabant; cum enim non nisi

*Marian. lib.  
26. n. 78.*



Sacul. XV. nisi exigua militum manu stipatus esset,  
 A.C. 1496. adeo vilipendebatur ejus auctoritas, ut  
 Principum, quos vocaverat, nullus ad  
*Comm. lib. 7.* conditum colloqui locum accederet.  
*cap. 7.* Hi omnes, ut absentiae culpam purga-  
*Paul. Jov.* rent, allegabant, quod ipsis Ludovici  
*lib. 4.* Sfortiae fides multis nominibus suspecta,  
 aliunde vero Caesareae suae Majestatis  
 exercitus hostibus resistendo impar esset.  
 Praeterea Mutinensis Dux, quamvis Reg-  
 gium aequae ac Mutinam tanquam Imperi-  
 ri praedia fiduciaro jure possideret, causam  
 tamen praetexebat adeo vero similem,  
 ut Caesar de illius aequitate persuasus  
 videretur; Dux enim ex Vercellensi  
 pacto Genuensem arcem Sequestris nomine  
 tenebat, cunctisque, quorum intererat,  
 fidem suam obstringebat; cum igitur  
 hos inter Carolus quoque Galliarum Rex  
 recenseretur, hinc Caesari exposuit, quod  
 Gallus merito conqueri posset, si ipse  
 Franciae hostibus sese adjungeret. Ergo  
 aliis mediis res tentanda erat, conventumque, in Florentinos belli  
 molem exonerandam esse; quapropter  
 primo Liburnum, quamvis Respublicae  
 pars magis periculosa esset, infestis armis  
 cingitur, Maximiliano ad hanc expeditionem  
 sese accingente ad Ludovicum preces, qui  
 permolestus ferebat, quod Veneti Pisanos in  
 fidem suam recepissent, eosque adversus  
 Florentinos defende-



fenderent. Cum ergo Ludovicus Pifas occupandi spem nondum abjecisset, dextre Cæsaris animum eo inclinabat, ut ipse Pifas in suam tutelam acciperet, bellumque Florentinis inferret. Annuit Imperator lubenti animo, totamque Genuæ oram, ac Hetruriæ partem armis suis emensus, Liburnum, quæ urbs est, ad Arni fluminis ostium sita, obsidere parat; ast Ponti levitas Cæsaris consilia disjecit; coorta enim horribili tempestate classis suæ navigia, aut dispersa, aut lacerata fuere; unde obsidionem solvere compulsus est.

Secul. XV.  
A.C. 1496.

## §. CXXI.

*Inglorius Cæsaris in Germaniam reditus.*

Maximilianus magis quam unquam alias consilii inops, eorum a quibus in Italiam advocabatur, integritati, ac fidei sese committere dubitabat, hinc Germaniam repetere statuit, abjecta gloriæ suæ sollicitudine. Hoc animi sui propositum Papiensi exposuit Senatui, quem tum etiam præsentia sua honorabant Mediolani Dux, & Carvajalus Cardinalis eo tempore Sedis Apostolicæ Legatus, qui ad promovendum foedus contra Gallos in Longobardiam missus erat. Hic omnibus viribus Cæsarem inducere cona-

Guicc. l. 3.  
Paul. Jov.  
lib. 4.  
Marian. l. 26.  
Surita tom.  
5. l. 4. c. 39.



Sæcul. XV.  
A.C. 1496.

conabatur, ut dilato reditu quantocius Genuensibus præsto esset, cum hi in proximo luctarentur discrimine, ne denuo Gallorum imperio subjicerentur, eoquod isti nullum non moverent lapidem, ut quamdam civitatem recuperarent, quæ ipsis denuo viam ad Neapolis Regnum sterneret. Cum hæc esset rerum facies, inopino ex Hispania nunciatur, Regem Catholicum cum Carolo VIII. inducias sanxisse, haud dubia spe, brevi solidam inter utrumque regnum concordiam fore stabiliendam. Hoc nuncio rerum gerendarum cursus magis adhuc turbabatur, adeo, ut Maximilianus Germaniam præcipiti profectioe repeteret, postquam toti Italiæ, quæ a multo tempore (ut inquit Guicciardinus) armatos Cæsares non videbat, virium suarum imbecillitatem planam fecisset. Post hæc Florentini, quibus Savonarola irritos Maximiliani conatus contra eorum Rempublicam prædixerat, ob Cæsaris discessum (\*) metu

(\*) Si Cæsaris exercitus adeo exiguus fuit, ut eo nonnisi virium suarum imbecillitatem toti Italiæ patefecerit, qua ratione dici poterit, Italos tantopere sibi a Maximiliani armis timuisse, ut etiam ex instinctu devoti cujusdam Viri, quem Florentini tanquam Prophetam sanctum venerabantur, publicas insti-



tu liberati fuerunt, atque ex præfati Sæcul. XV. A.C. 1496.  
Religiosi hortatu publicas supplicationes decreverunt, statumque suæ Reipublicæ ad antiquum splendorem revocarunt. Totum hoc Maximiliani iter in Italiam paulo uberius descripsit Camillus Gilius Romanus.

§. CXXII.

*Legatio Georgianorum Regis ad Papam.*

Interea Constantinus Georgianorum Rex Raynald ad  
ad Alexandrum Papam ablegabat Ni-ann. 1496.  
lum Ordinis S. Basilii Monachum tan. 21. quam Oratorem, qui Regis sui nomine obsequium eidem velut Christi in terris vices gerenti deferret, ipsumque rogaret, ut occidentales Reges ad sacrum in Saracenos bellum concitaret, quibuscum & ipsi Orientales Principes armajuncturi essent, idemque Rex vetus cum Romana Ecclesia foedus redintegraturus efflagitabat, ut Papa Florentini Concilii decre-

tuarent preces, quibus Deo gratias agebant, eo quod per Cæsaris discessum metu liberati fuissent. Ægre hæc duo conciliari poterunt: verum ejusmodi hallucinationes satis solemnes sunt illis Scriptoribus, qui promiscue sine selectu ex variorum Authorum laciniis Historias suas consuunt, partiumque studio abripiuntur.



Sæcul. XV.  
A.C. 1496.

decretum de damnatis Græcorum erroribus ad ipsum transmitteret. Alexander Nilum Monachum ingenti animi lætitia excepit, ac reduci literas ad Regem deferendas tradidit, quibus eximium Georgianorum fervorem, ac fidei Zelum commendat, additque, nos omnem quoque conatum adversus hostes sanctæ fidei convertemus, de quibus non veremur crucis vexillum præferentes certam victoriam reportaturos; definitionem fidei, prosequitur Papa, in Concilio Florentino firmatam, pro qua nobis supplicari fecisti, tibi mittimus, hortantes, ut illam mandes per universas Provincias tuas publicari & observari. Datæ sunt hæc literæ septima Julii die (\*). Præter has extant plures aliæ ad eundem Regem ab Alexandro scriptæ, in quibus Ecclesiæ Catholicæ dogmata de Processione Spiritus sancti a Patre, Filioque veluti unico Principio explicat; haud immemor dogmatis de primatu Romani Pontificis, cujus tamen prærogativam nimia ostentatione, ne dicam, ex-

agge<sup>a</sup>

(\*) Hæc Alexandri literæ datæ sunt, non die septima Julii, sed III. Nonas Julii, seu die quinta, ut constat ex Brevis Apostolico ab Odorico Raynaldo citato, ex quo Continuator hæc deprompsit.



aggeratione extollit (\*) Sub idem tem- Sæcul. XV.  
 pus Pontifex amplissima indulgentiarum A.C. 1497.  
 præmia proposuit omnibus pugnaturis ad-  
 versus Moscovitas, qui in Sueciam, Li-  
 voniam, aliasque Septentrionales Pro-  
 vincias populabundi excurrerant. Data  
 est hæc Bulla die vigesima secunda Junii.

## §. CXXIII.

(\*) Consulatur ipsa Alexandri epistola, quæ  
 exstat apud Odoricum Raynaldum ad hunc an-  
 num num. 22. Et certe lector nec ostentationem  
 nec exaggerationem deprehendet; non enim alia  
 Pontifex recenset Primatus jura, quam quæ  
 summis Pontificibus primitus adscripta fuere,  
 nonne eadem stabilita sunt in Concilio Niceno I.  
 videatur Canon Arabicus 39. in versione Tur-  
 riani. Et Canon 44. apud Labbæum tom. 2.  
 Edit. Venet. item Synodus Ephesina act. 3. Et  
 4. Chalcedonensis act. 3. ac denique Constantino-  
 politana I. II. III. Et IV. aliæque Concilia  
 tam occidentalis quam orientalis Ecclesiæ, in  
 quibus summus Pontifex semper deprædicatur:  
 Successor S. Petri, verus Christi Vicarius, to-  
 tius Ecclesiæ caput, omnium Christianorum  
 Pater & Doctor, universam Ecclesiam regen-  
 di potestate præditus. &c. Nec plura etiam  
 Alexander in laudatis literis protulit. Hæc si  
 Continuatori displicent, vel ostentationem sapere  
 videntur, primorum Conciliorum usum, ac sub-  
 missionem erga summos Pontifices incuset.  
 Hist. Eccles. Tom. XXXI.

M



Sæcul. XV.  
A.C. 1497.

§. CXXIII.

*Bellum Pontificis adversus Urfinos.**Marian. ib.*

Ceterum Pontifex in eo erat, ut Urfinos, qui Carolo VIII. adhærebant, bonis exueret, & pagos, urbesque, quas in Romana ditione possidebant, hostiliter invaderet. His curis distentus præpediebatur, ne Liburnensium obsidioni suas quoque copias adjungeret, quibus tamen Urbini Ducem præfecit, eique militaris disciplinæ tyronem, ac Tribunum associavit Gandiæ Ducem, qui Notus ipseus Alexandri filius erat secundo exercitum in aciem educendum viribus imparis essent, copias suas pari numero inter se partiti sunt.

§. CXXIV.

*Bracciani obsidio.*

Alvianus igitur iatra muros Bracciani, quod Urfinorum oppidum est longe munitissimum, sese inclusit, ceteri vero ex eadem Familia ad alia securitatis loca sese receperunt, ut opportuno auxilio Alvianum juvare possent, quam primum pertinacior obsidionis mora hostium vires attenuaverit. Ergo Braccianum primitus obsidione premitur; verum præfidiarii invi-



invicto robore oppugnantium impetus re-  
tundunt; Alvianus quoque omni, qua  
par erat, animi fortitudine hostem ab ac-  
cessu urbis arcere conatur, atque omni  
ex parte intra suos aggeres defensus, quam  
plurima belli tormenta admovet, ut in  
obsidentium castra densam globorum  
tempestatem evibraret. Præterea mili-  
tiam provincialem sibi addictam, ac in  
Bracciani finibus dispersam contrahi ju-  
bet, dato negotio, ut una omnes concu-  
bia nocte, ac hora præstituta urbi advo-  
larent, ac quamdam hostilium castrorum  
partem aggredierentur, ipse vero eruptione  
facta in eandem irruit, occupat, ac tam-  
diu eam sibi vendicat, donec ipsius co-  
piæ cunctos hostium labores solo æquaf-  
sent; Inde vero ad ceteros tormentorum  
suggestus contendit, eosque omnes ever-  
tit, ac tormentorum nonnulla, quæ ibi  
locata erant, Braccianum devehit, alia  
autem impacto clavo obstruit.

## §. CXXV.

*Pontificii exercitus clades.*

His victoriæ auspiciis oppugnantium  
animi erigebantur, faustaque  
hæc mora ceteris Ursinis spatium indul-  
sit, ut ad solvendam obsidionem neces-  
sarias copias colligere possent, interea  
etiam collectitia manu sibi ex Galliis sub-  
missa



Sæcul. XV. missa aucti, insuper trecentos cataphra-  
 A.C. 1497. ctos, quadringentos levioris armaturæ

*Marian. lib.* equites, necnon bis mille quingentos  
 26. n. 80. pedites conscribebant, quas copias ob-  
 longis præter morem armabant hastis,  
 eoque apparatu instructas Tiferno educe-  
 bant. Verum consultius fore rati, si ho-  
 stium vires nova expeditione distrahe-  
 rent, Vasanum, munitissimam ditionis  
 Ecclesiasticæ urbem, circumfidere ag-  
 grediuntur, eo fine, ut a Bracciana ob-  
 sidione Pontificis exercitum ad se conver-  
 terent, eumque ad experiendum prælii  
 discrimen compellerent. Valuit succes-  
 sus: Dux enim Urbinus intra obsidiona-  
 les fossas Urfinorum adventum præsto-  
 lari impatiens, primus ipsis obviam pro-  
 cedere statuit: Ergo utroque exercitu  
 propius admoto, die vigesima quarta Ja-  
 nuarii anno Domini millesimo quadrin-  
 gentesimo nonagesimo septimo initium  
 certamini datum est.

Acrius utrinque depugnatur; ast Ur-  
 finorum equitatus militaris constantiæ,  
 ac fortitudinis immemor detortis habe-  
 nis retrocessit, pedites quoque eque-  
 stri agmine, quo protegerentur, desti-  
 tuti, pari fuga e prælio discesserunt ca-  
 ptis Carolo, & Francioto ex Urfinorum  
 familia, necnon Rosseto Centurione; ea-  
 dem etiam facilitate media acies, cui  
 Vitel-



Vitellofius ab Urfinis præerat, certo pro-  
 fligata fuisset, si Fabricius Colonna, qui  
 primum impetum fecerat, in eandem si-  
 mul irruisset; ast ille Urbini Ducis jussu  
 pugnae quietem interponens, fugienti-  
 bus sese colligendi spacium concessit.  
 Demum pedestria utriusque exercitus ag-  
 mina, quæ necdum manus conse-  
 rebant, certaminis aleam decidebant;  
 quippe Germanorum pedites, quibus Ur-  
 bini, & Gandiæ Duces imperabant, Ur-  
 sinorum milites adoriuntur, ast eorum  
 hastas suis longiores experti, mox omni  
 vincendi spe abjecta, terga vertebant,  
 ceteris quoque Pontificii exercitus pedi-  
 tibus fuga dilapsis, Duce Gandiæ in fa-  
 cie vulnerato, Urbino autem ac Nogarol-  
 la Comite captis. Hac victoria Urfino-  
 rum res restaurabantur, ac victores cun-  
 ctas urbes paulo ante amissas recupera-  
 bant. Alexander Papa horum vires,  
 iramque veritus, licet invitus, Urfinis  
 pacem dedit, conciliatore Consalvo, cu-  
 jus opera tam feliciter concordia est re-  
 stituta, ut quamvis ipse ad preces Ponti-  
 ficis pacis negotium in se suscepisset,  
 Urfini tamen, a Rege Catholico rem esse  
 penitus confectam gauderent, vehemen-  
 terque lætarentur.

Sæcul. XV.

A.C. 1497.



Sæcul. XV.  
A. C. 1497.

§. CXXVI.

*Ostia a Consalvo obsessa, captaque.*

*Marian. ib.  
num. 81.*

Quamvis Neapoli belli flammæ nec-  
dum penitus fuissent extinctæ, ni-  
hilominus Consalvus Pontifici opem la-  
turus, Romam venit, ac confecta cum  
Ursinis pace, Ostiam, quam Gallorum  
præsidium tuebatur, obsidere aggredi-  
tur. Urbs ista, cum ad Tiberis ostia sita  
esset, commeatus aditum Romanis in-  
tercludens, extremam rerum egestatem  
induxit, nec minori calamitate populus  
afflictabatur, quam si urbis mœnia hostis  
undique cincta teneret. Præsenferat Con-  
salvus arcis superandæ arduitatem, na-  
tura enim & arte munitissima; om-  
niumque rerum apparatu copiose instru-  
cta erat. Præter hæc obsidionis diffi-  
cultas augebatur ex eo, quod urbem Præ-  
sidiarii milites numero & animo, reique  
militaris experientia nominatissimi firma-  
rent. Nihilominus Hispani Ducis forti-  
tudo vinci nescia, simulque intrepidus,  
quo ipsius copiæ flagrabant, pugnandi ar-  
dor cunctis hisce obstaculis longe supe-  
rior evasit; unde Consalvus brevi Ostiam  
vi occupavit, Gallamque urbis Præse-  
ctum ex deditiois lege honorifice habuit,  
ac sub militari honore liberum dimisit.  
Ceterum Consalvus magnam captæ ur-  
bis



bis partem debebat dexteritati, ac con- Sæcul. XV.  
A.C.1497.  
filiis Garziæ Lassi, qui Regum Catholi-  
corum apud Sedem Apostolicam Lega-  
tus erat, vir inter celeberrimos ævi sui  
Politicos facile Princeps. Consalvus tran-  
quillitate Ecclesiasticis ditionibus reddita,  
sollicite Neapolim reversus est, ut ur-  
bes, quas Cardinalis S. Petri ad vincu-  
la Gallorum nomine tenebat, Regi suo  
vindicaret: Priusquam vero eo abiret,  
Papam salutabat, hic vero graviter de  
Ferdinando & Isabella querebatur, in-  
quiens, quod utriusque Principis indo-  
les sibi satis perspecta esset, nec illi un-  
quam se gratos Sedi Apostolicæ exhi-  
buissent, prout tamen par fuisset, eis-  
que concessa beneficia exegissent.

## §. CXXVII.

*Consalvi responsum ad Papæ  
querelas.*

Responsum Consalvi vehementissimis Marian. l. 2  
conceptum erat verbis: *Credo equi-  
dem, reposuit Consalvus, tibi esse notos,  
quorum in ditione es natus: quod vero ad-  
dis, nulla eorum in te officia extare: nimi-  
rum oblitus es eorum Regum ope, & aucto-  
ritate stare tibi Pontificatum, in tanta quam-  
vis licentia actionum, aulæque universæ mo-  
rum perversitate. Ergo quæ collapsa sunt,  
severiori censura in pristinum statum resti-  
tuas*

M 4



Sæcul. XV.  
A.C. 1497.

tuas moneo, priusquam meus Rex religione prohibeatur ei favere, qui suis moribus universum orbem Christianum scdare, pravoque vitæ exemplo multis exitio esse videtur. Recensuit præterea Consalvus sigillatim beneficia, quæ Rex Catholicus, ejusque Prædecessores tam Alexandro, quam illius familiæ contulerant, postea plura alia adjecit Consalvus, ad quæ Pontifex, inquit Mariana, victus conscientia, & audacia hominis militaris perterritus, cui loquendi fiduciam misera temporum & morum conditio dabat, mutire non est ultra ausus. Malorum etiam colluvies, qua ex eo fonte orbis Christianus premebatur, Castellæ & Lusitanicæ Reges impulit, repetitis legationibus Consalvi exemplo tantundem a Pontifice ut postularent (\*) nempe reformationem Ecclesiæ in capite & membris.

## §. CXXVIII.

Papa Beneventi Ducatum Gandiæ  
Duci suo filio donare molitus.

Marian. ib. Verum Consalvi declamatio, ac Principum monita adeo non Pontificis animum flectebant, ut etiam paulopost in quodam Secreto Patrum Senatu, ubi de

(\*) NB. Hæc ultima verba Continuator de suo addidit, quo consilio? prudens Lector facile perspiciet.



de Neapolitani Regni possessione Friderico confirmanda agebatur, Beneventum Pontificiæ ditionis urbem a Patrimonio Ecclesiæ avelli, ac Gandiæ Duci fillo suo cedi, audacter postulasset. Quinimo ferunt nonnulli, Pontificem animo constituisse, quod Neapolis Regibus tributum ab iis Sedi Apostolicæ quotannis beneficiario nomine pendi solitum, condonare velit, ea tamen lege, ut Fridericus eundem Gandiæ Ducem Regni sui Principatu centum aureorum millibus pingui augeret. Verum Papæ consiliis obstabat ingens obluquantium frequentia; Garzias Lassus quoque Hispaniarum Regis Orator Papæ consilium vehementer indignatus, haud dissimulanter Beneventani Ducatus distractionem ab Ecclesiæ patrimonio improbabat, acrioribus verbis declarans, Regem suum nunquam concessurum, ut Ducatus iste a Sedis Apostolicæ dominio avulsus, cuicumque demum, aut sub quocunque prætextu donaretur; insuper habitis tamen omnibus hisce obstaculis Alexander, suos ditandi cupiditate delusus, nec æquitatis, nec rationis lege contineri patiens, rem omnino perfecisset, nisi ambitiosa Patris consilia funesta filii sui mors conturbasset: tragicum autem Ducis Gandiæ exitum Mariana his verbis describit.



Sæcul. XV.  
A C. 1497.

§. CXXIX.

*Sicaria cædes Gandiæ Ducis.*

*Marian hist.*  
*Hispan. l. 26.*  
*n. 82.*

*Noctæ quadam ad octavum decimum Kalendas Julias (\*) ex hortis, ubi cœnati erant Gandiæ Dux, & duo Cardinales Valentinus, & Borgia, quorum primi duo Spurii erant Papæ Filii, tertius vero ejusdem Nepos, flexo in vesperum die serius sese domum conferebant ex orto Cardinalis S. Petri ad vincula prope Ecclesiam, ubi cum Venotia sua Matre sæpius convenerant, atque ad Palatium suum revertebantur (\*\*), ut inquit*

(\*) Seu decima quarta Junii.

(\*\*) Equidem Continuator hanc epistolam ex Mariana refert, atque in editione sua illam virgulis obliquis designat, perinde ac si verba, ut vocant, illius formalia recitaret, cum tamen ea verba, quæ ciceronianis literis excusa sunt, mere de suo adjecerit, ut Lectoris memoriæ rursus inculcet, hos Cardinales fuisse nothos Papæ filios, eorumque Matrem esse Venotiam, cum tamen plusquam viges utriusque hujus Cardinalis mentionem fecerit, quin studiose adderet hæc verba: *Nothi Papæ Alexandri Filii, quos tamen Alexander longe ante Papatum procreaverat.* Insuper



quit Burchardus : *Divertit paululum de via Dux cum unico a pedibus famulo, quem etiam a se dimisit arma quæsitum. Fecit ille, ut erat imperatum: verum in reditu Herum non invenit, neque vero die proximo omnino intelligi potuit, ubi esset. Mula tantum, qua Dux pridie vehebatur, ad Flaminiam portam urbis est inventa; majori ergo diligentia & inquisitione cognitum e naviculario est, de media nocte e cymba, in qua pernoctabat, vidisse se hominem e mula, qua portabatur ab alio in clunibus insidente, & duobus ab utroque latere ad extremum Tiberis pontem, ubi ventum esset, in subiectum flumen præcipitem datum. Rogasse eum, qui in mula sedebat, an mergeretur, ac duobus illis id affirmantibus discessisse omnes. Papa quantocius urinatores jussit, ut ad imum usque flumen quærerent in loco a naviculario designato, qui erat locus, in quem fimus, urbisque fordes paulo ante*

Sæcul. XV.  
A. C. 1497.

ta autem hac repetitione frustra novam Pontificatui invidiam accersere satagit Continuator, Catholici enim perbene sciunt, quod Deus Ecclesiæ veræ ejusque capiti promiserit infalibilitatem in docendo, non item innocentiam morum. Protestantibus vero ubique ac præcipue in Anglia tanquam supremum Ecclesiæ caput agnoscunt eos etiam Principes, qui ejusmodi sceleribus, aliisque pejoribus contaminati erant.



Sæcul. XV. ante projiciebantur (\*). Hi postquam  
 A.C. 1497. diligenter quæsierunt, corpus invenere no-  
 vem scædatum vulneribus cum vestibus, ac  
 reliquo omni ornatu.

## §. CXXX.

*Incogniti hujus cædis Auctores.*

*Marian. id.  
 Guicc. l. 3.*

Quamvis solertissima adhiberetur inqui-  
 sitio, nihilominus hujus cædis Au-  
 ctiores haud detegi poterant. Alii in sce-  
 leris suspicionem adducebant Urfinos, qui  
 de Pontifice ipsis infenso vindictam sum-  
 pturi, iræ suæ rabiem in Filios ejus effu-  
 disse credebantur; alii accusabant Asca-  
 nium Sfortiam Cardinalem, qui ob inju-  
 rias sibi a Borgianis illatas eosdem sum-  
 mo persequebatur odio; constantior ta-  
 men fama tulit, criminis auctorem fuis-  
 se Cæsarem Borgiam Valentinum Cardi-  
 nalem defuncti Ducis fratrem natu majo-  
 rem, qui omnium, quos illo ævo terra susti-  
 nuit, sceleratissimus audiebat, nec su-  
 spicioni fundata ratio deerat; quippe  
 præter ambitionem, qua flagrabat, ægre  
 etiam ferebat, Gandiæ Duci potiores  
 fuisse

(\*) Hæc verba itidem intrusit Continua-  
 tor, cum Mariana tantummodo dicat: *Loco  
 a naviculario designato urinantes ad imum us-  
 que flumen quæsitum diligenter corpus inve-  
 nere.*



fuisse partes apud Lucretiam Borgiam, Sæcul. XV.  
A.C. 1497.  
quæ utriusque Soror simul & prostibulum erat; huic etiam accessit invidia fratris erga fratrem, eoquod se posthabito utut natu majori, alteri Ducatus Gantiæ cessisset: verum in ejusmodi eventibus, nec effrænis calumniantium libertas, nec effusa invidæ plebis maledicentia coerceri, minus vero facti veritas detegi valet: vero tamen simillimum est, hosce rumores ex communi odio, quo habebatur Pontifex, fuisse exortos: unde persæpe contigit, ut cuncta, quæ Alexandrum quoquo modo concernebant, proclivi in deterius persuasione populus sinistra interpretatione acciperet.

## §. CXXXI.

*Papæ luctus ob Gantiæ Ducis mortem.*

Comperta Gantiæ Ducis cæde summus Pontifex vehementissime affligebatur, ac postquam proprias miseras deplorasset, e Cardinalium numero quosdam delegit, quorum opera in moribus curiæ suæ corrigendis uteretur, imo referunt nonnulli, solida tamen ratione destituti, ipsum de dimittendo Pontificatu agitalse consilia, eaque Ferdinando Regi Hispaniarum patefecisse, hunc tamen eidem auctorem fuisse, ut hac super re nil

*Raynald. hoc  
anno n. 4.  
Surica tom.  
5. lib. 2. c. 1.*



Sæcul. XV. nil statueret, donec concepti de cæde  
 A C. 1497. doloris vis remitteret. Id an verum sit,  
 dubitandi locus superest, certissimum ta-  
 men, nec Papatus abdicationem, nec  
 Curie reformationem fuisse secutam,  
 imo huic nec manus admota videtur.

## §. CXXXII.

*Quædam propositiones a Parisiensi fa-  
 cultate Theologica proscriptæ.*

Theologica Parisiensis facultas, quæ  
 ad conservandam Christianæ doctri-  
 næ puritatem indefesso studio incumbere  
 bat, cunctis erroribus subinde irrepenti-  
 bus sese opponebat: hanc ob rem die  
 decima quinta Aprilis currentis anni cen-  
 sura notavit, damnavitque opinionem  
 illorum, qui illa Davidis verba ex Psal-  
 mo vigesimo primo, *ego autem sum ver-  
 mis, non homo* in sensu literali Christo Do-  
 mino attribui negabant, licet de eodem  
 humanato Deo in sensu allegorico, atque  
 anagogico vere intelligi profiterentur.  
 Ergo facultas definit, hanc propositio-  
 nem esse falsam, ac hæresim sapere.  
 Non multo post tempore eadem Facultas  
 Theologica quemdam Ordinis FF. Præ-  
 dicatorum, nomine Joannem Alutarium  
 compulit, ut sermonem, quem die octa-  
 va Septembris, quæ Nativitati B. V. sa-  
 cra erat, in Ecclesia S. Joannis in Gra-  
 via

*Argentre  
 coll. jud. tom.  
 i. p. 336. &  
 338.*

*Ex Regist.  
 Facult. fol.  
 147. & 148.*



via habuit, publice retractaret, in hoc enim, quamvis assereret, *Beatissimam Virginem Mariam non peccasse venialiter*, adversus hanc tamen doctrinam argumenta, ac Doctorum testimonia produxit, hancque quæstionem imprudenter ac indiscrete cum populi offensione discussit; referimus ipsam propositionem, prout ab hoc Religioso retractata, verbisque illius ævi stylo accommodis relata fuit: *Non obstante quod S. Joannes Chrysostomus, ut videtur, insinuaverit, B. Virginem apud nuptias venialiter peccasse, ac humanam quamdam fragilitatem, atque levem vanæ gloriæ motum habuisse; nihilominus nunquam veniale peccatum commisit, nec committere potuit, & contrarium S. Chrysostomum expresse tenuisse, affirmat S. Thomas.* Hanc Propositionem Alutarius non quidem in Ecclesia, sed tamen præsentibus Decano ac Deputatis in quodam Facultatis conventu revocabat.

Jam anno priori perspeximus, quanto fervore eadem facultas infectata esset *Argentore ib. p. 333 regist. fol. 148.* omnes illos, qui immaculatam Conceptionem B. V. impugnabant, hujusque mysterii sanctitatem labefactabant. Hoc igitur argumento in tribus consultationibus mature discussio, quarum prima habebatur tertia Martii, altera ejusdem mensis sexta die, demum in tertia decidit.



Saecul. XV. A.C. 1497. cidit, hunc in modum, Majorum nostro-  
 rum vestigia sequentes, universi tertio con-  
 gregati post multam, gravem & maturam  
 deliberationem, in ejus piissimae doctrinae,  
 quae benedictam Dei Matrem ab originali  
 peccato Dei singulari dono fuisse praeserva-  
 tam affirmat, quamque jam pridem veram cre-  
 didimus, defensionem speciali Sacramento con-  
 juravimus, statuentes, ut deinceps nemo sacro  
 huic Collegio adscribatur, nisi se hujus do-  
 ctrinae strenuum propugnatorem simili jura-  
 mento profiteatur; quod si quis ex nostris  
 contrariae assertionis, quam falsam, im-  
 piam, & erroneam judicamus, patrocini-  
 um suscipere ausus fuerit, hunc honoribus  
 nostris omnibus privatum, atque exaudora-  
 tum a nostro consortio procul abjiciendum  
 decernimus. Hoc Decretum conditum est  
 in tertia Congregatione die nona ejus-  
 dem mensis Maji post Missam de Conce-  
 ptione celebratam: illud tamen nonnisi  
 anno sequenti millesimo quadringentesi-  
 mo nonagesimo septimo promulgatum est  
 in alia quadam Congregatione apud Ma-  
 thurinos die vigesima tertia Augusti ha-  
 bita, in qua idem juramentum praesti-  
 tum, ac renovatum fuit, praesentibus  
 Universitatis Rectore, Bituricensi Archi-  
 episcopo, septem Episcopis, pluribus  
 Abbatibus, Consiliariis regiis, & quam  
 plurimis Doctoribus, aliisque prima lau-  
 rea donatis. Nihilominus hujus decreti seve-



severitas haud deterruit quemdam Religiosum Ordinis S. Dominici, quominus in festo die Conceptionis B. V. M. in quodam sermone Deppæ habito sententiam de immaculata Conceptione impugnaret; quapropter tres propositiones, ad quas illius sermo reducebatur, ad Facultatem delatæ ab eadem die decima octava Septembris condemnatæ fuerunt, velut falsæ, impiæ, piarum aurium offensivæ, *Argent pag. 336. & 337. Ex registr. sacrae Scripturae, cultui Ecclesiae, ac rectæ rationi dissonæ, necnon a devotione fidelium de immaculata Conceptione gloriosissimæ Trith. in Virginis Mariæ Matris Domini nostri Jesu Christi retractivæ.* *Chron. Spanheim.*

Eadem Facultas Theologica Parisiensis hoc anno die vigesima tertia Augusti quatuor alterius cujusdam Dominicanorum nomine Joannis Morcelli damnavit propositiones, utpote honori Beatissimæ Virginis derogantes. Harum prima his concepta erat verbis: *Deus potest producere creaturam puram in majori gloria, quam sit Virgo Maria, de potentia absoluta, licet non de ordinaria.* Hæc propositio, inquit Facultas, quamquam quoad primam partem sit vera, inepta tamen, indiscrete, infructuose, & sine ædificatione populi taliter prædicata, nec de cetero taliter prædicanda: quoad secundam partem, si comparare intendat Virginem ad humanitatem

*Argentre ib. p. 339. ex registr. fol. 154.*

*Hist. Eccles. Tom. XXXI, N Chri-*



Secul. XV.  
A.C. 1495.

*Christi, vel animam ejus quoad Gloriam, falsa est, & erronea in fide, & sic revocanda.*

*Secunda Propositio: Problema est Virginem Mariam pulchriorem esse corporaliter Eva. Hæc propositio est temeraria, laudi, & dignitati Virginis detractiva, falsa, dictis Sanctorum dissona, Scriptura sacrae contraria, de hæresi suspecta, ideo revocanda.*

*Sequitur propositio tertia: Christum occurrisse Virgini Mariæ in sua Assumptione, apocryphum est. Hanc propositionem Parisienses Doctores notabant tanquam falsam, contra Scripta Doctorum, impietati faventem, piarum aurium offensivam, detractivam populi a devotione, quam habent ad Virginem Dei Genitricem. Propositio quarta. Nos non tenemur credere sub pœna peccati mortalis, quod Virgo sit assumpta in corpore & anima, quia non est articulus fidei. Facultas declarat hanc propositionem, prout jacet, temerariam esse, scandalosam, impiam, devotionis populi ad B. Virginem diminutivam, falsam, & hæreticam.*

*Revocatæ sunt hæc propositiones a Joanne Morcello publice in Ecclesia S. Benedicti die vigesima tertia Augusti. Dupinus harum propositionum censuras referens, inquit, Censores juxta plurimum opinionem severitate excessisse.*

§. CXXXIII.



§. CXXXIII.

Secul. XV.  
A.C. 1497.

Quæstiones a Rege Facultati de reformatione Clericorum propositæ.

Carolus VIII. Galliarum Rex, cum in *Argentre*  
Regno suo Ecclesiæ ac Clericorum *tom. I p. 335.*  
reformationi animum adjiceret, quas *Es 336.*  
dam propositiones a Facultate Parisiensi  
examinandas, atque decidendas propo-  
suit. Ex his erat prima. I. „ An sum-  
mus Pontifex singulis decenniis sa-  
cram Synodum, quæ Ecclesiam uni-  
versalem repræsentat, convocare te-  
neatur, & quidem in hac ipsa tempo-  
ris circumstantia, ubi corruptela  
tam in capite, quam in membris no-  
torie viget. II. Si igitur in casu præ-  
senti necessitas urgeret, cum jamjam  
ab ultima Synodo decem anni effluxer-  
int, utrum Papa rogandus, aut si  
Concilium convocare negligat, vel pro-  
trahat, stimulandus esset, vel an in  
ejusmodi casibus Principes tam Ec-  
clesiastici, quam Laici nec non cete-  
ri Ecclesiæ Status possint ipsimet  
convenire, & an iidem, etiamsi a  
summo Pontifice convocati non essent,  
nihilominus Synodum efficiant, quæ  
universalem repræsentat Ecclesiam.  
III. Utrum tempore urgentis necessi-  
tatis, ut præsens est, vel post decen-  
nium,



Sæcul. XV. „ nium, postquam aliqua magna & no-  
 „ A. C. 1497. „ tabilis pars Christianæ Reipublicæ,  
 „ quemadmodum est regnum Franciæ,  
 „ vel ipse Rex Christianissimus ipsius vi-  
 „ ces gerens, rogaverit, postulaverit,  
 „ & adhortatus fuerit summum Pontifi-  
 „ cem, ceterasque partes de congre-  
 „ gando tali Concilio, ut necessitati Ec-  
 „ clesiæ provideatur, ipse vero Ponti-  
 „ fex vel aliquæ prædictarum partium  
 „ recusarent, negligerent, vel differrent  
 „ ejusmodi Concilium congregare, ni-  
 „ hilominus illi, qui aderunt, sine aliis  
 „ non convenientibus possint præfatam  
 „ Synodum celebrare, & necessitati Ec-  
 „ clesiæ providere. „

## §. CXXXIV.

*Responsum Facultatis Theologiæ ad  
quæsitâ Regis.*

*Argente ib.  
 Ex 1. regist.  
 MS censu-  
 rar. facult.  
 Paris. fol.  
 147.*

Die undecima Januarii hoc anno Fa-  
 cultas Theologica Parisiensis hac  
 super re deliberatura conventum egit,  
 eodemque die Regi in hanc sententiam  
 responsum transmissit. I. Summus Pon-  
 tifex tenetur de decennio in decennium con-  
 gregare generale Concilium, universalem Ec-  
 clesiam repræsentans, & maxime nunc, cum  
 tanta sit deordinatio in Ecclesia tam in ca-  
 pitibus, quam in membris, quæ cunctis ne-  
 cessaria est. II. Si tempore urgentis necessita-  
 tis.



tis, sicut nunc, vel post decem annos ab ul-  
 timo celebrato Concilio dictus summus Pon-  
 tifex rogatus fuerit, requisitus, provoca-  
 tus, & monitus de sic congregando dictum  
 Concilium, & facere recusaverit, neglexe-  
 rit, vel distulerit, tunc Principes tam Eccle-  
 siastici, quam Sæculares, & partes Eccle-  
 siæ notabiles possunt se congregare sine hoc,  
 quod per dictum summum Pontificem congre-  
 gatur tale Concilium Ecclesiam universalem  
 representans. III. Definivit laudata facultas,  
 quod tempore urgentis necessitatis, ut nunc,  
 postquam aliqua bona magna pars, & no-  
 tabilis Christianitatis, quemadmodum Rex  
 Christianissimus, rogaverit, summaverit,  
 & exhortatus fuerit summum Pontificem  
 de congregando dictum Concilium, & de  
 providendo necessitati Ecclesie; ipse vero re-  
 cusaverit, nihilominus illi, qui aderunt, &  
 comparebunt, poterunt sine aliis non conve-  
 nientibus præfatum Concilium celebrare, &  
 necessitati Ecclesie providere.

Attamen Carolus VIII. hæc Faculta-  
 tis monita effectui dare non poterat, cum  
 vitæ suæ spacium arctis nimium limiti-  
 bus circumscriberetur.



Sæcul. XV.  
A. C. 1497.

§. CXXXV.

*Vasquesii Gamæ navigatio in Indias  
Orientales.**Marian. hist.  
hisp l. 28 n.  
90. & seq.  
Maffeus l. 1.  
Barros l. 4.  
cap. 9.*

Interea Lusitanæ Rex, cum animo constituisset, ad Indias viam explorare, quæ hucusque inveniri haud poterat, quamvis satis amplius existarent documenta, hinc operi conficiendo Vasquesium de Gama natione Lusitanum præfecit, quatuor navigiis instructum. Hic ergo die nona Julii anno Salvatoris millesimo quadringentesimo nonagesimo sexto ex litore solvit, ac unacum Paulo de Gama suo fratre, Nicolao Cœillo, aliisque nonnullis belli Præfectis animi fortitudine, ac rerum experientia inclytis Mosambicum appulsus est, ubi a Governatore Naclerum sibi concedi postulavit, qui viæ ducem ageret. Annuit haud cunctanter Governator, ratus, naves a se conspectas Turcarum copiis instructas esse: cum vero errorem edoctus esset, Naclero negotium dedit, ut Lusitanos ad portum Quiloæ deduceret; sperabat enim, eos certo ibidem perituros. At Gama perfidiam subodoratus, portum intrare renuit, sed continuato, quem ceperat, cursu Melindam pervenit, cujus regni Princeps classis Præfectum alloqui ambiens, ad oram descendit,



dit, ac explorato illius proposito eidem Sæcul. XV.  
A.C. 1497.  
Navarchum integræ fidei virum adjunxit, a quo tanta dexteritate, ac navigandi felicitate devehebatur Gama, ut post vigesimum secundum navigationis diem, maris sinu obliquis velis emenso, jam vigesimo Maji die Anno reparatæ salutis millesimo quadringentesimo nonagesimo septimo classem ad Calecuti litus adpelleret, quamvis hoc Regnum septingentis circiter leucis Melinda distaret. Ergo Gama anchoras jacere præcipit, altero ab ora lapide, eo quod subsidentes maris undæ propiorem ad litus accessum denegarent. Demum data ei fuerat copia non modo suos in terram exponendi, sed ipsius Imperatoris, quem hujus regionis incolæ *Zamorinum* nuncupant, conspectum subeundi; igitur regni Metropolitim bidui intervallo a maris litore discretam Gama accessit, ab Imperatore perbenigne exceptus, obtenta etiam liberi commercii facultate.

Verum Mahometani metu agitati, ne per novam hanc Lusitanorum coloniam maximi quæstus spes ipsis interdiceretur, Zamorino suggerebant, Vasquesium de Gama non nisi ementitum Oratorem, re autem ipsa Piratarum principem esse. Zamorinus his auditis ex ipso

N 4

Gama



Sæcul. XV.

A.C. 1497.

Gama rei veritatem edoceri voluit, & quamvis Nobilis ille Lusitanus cuncta ejus dubia plene dissolvisset, nihilominus Imperatori semper Viri fides suspecta erat; unde Gama sibi a Mahometanis insidias parari veritus, clam Calecuti discessit, ad sua navigia reversus; cum vero vela faceret, Indorum nonnulli, quos patrio nomine *Zambuccos* nominant, navibus suis occurrunt, aditum inhiberi; attamen ille crebra tormentorum explosione periculum dextre eluctatus, rursus ad Anchedinæ Insulam delatus est, ubi cum haud procul Timoju Pirata navim suam applicuisset, ac tenebrarum beneficio Gamam aggrederetur, grandinantes inter sclopos, interque volitantes tormentorum globos a Lusitanis exceptus, vela ad fugam vertere compulsus est. Capta aliquot dierum quiete Gama longius in altum procurrens, Ulyssiponem regressus est, navigationis suæ rationem Lusitanæ Regi redditurus. Conduxit secum Æthiopem quemdam nomine Moncaidem, qui in Lusitaniam veniens, ac Christianorum sacris initiatus, vitam multis virtutum ornamentis illustrem transegit: Præterea complures Indos reditus sui socios habuit, quarum corporis habitudo, indoles, fusca facies, idioma, gestus, ac vestium cultus in omni-







Sæcul. XV.  
A. C. 1497.

indignabatur, Carolus quidem, quod Rex foederi inter Italiæ Principes inito accessisset, alter vero, quod Henricus cunctis suis subditis commercium cum Flandris, proposita poenarum severitate, inhibuisset.

§. CXXXVII.

*Hunley Comitis Filia ex Scotiæ  
Regis jussu Perkino desponsata.*

*Bucanam.  
rer. Scotic.  
l. 12.*

Rex Scotiæ omnibus Perkini verbis fidem suam addicens, eundem in patrociniolum suum accepit, eoque devenit, ut, amicitiam suam luculento testaturus argumento, Perkino Catharinam Gourdon Comitis Hunley filiam, adolescentulam regio generi propinquam, matrimonio jungeret. Erat illa Virgo nonnisi quindecim annos nata, corporis forma excellens, omnique virtutum genere longe illustrior. Peractis hisce negotiis, ipse Rex, juncta Perkini operam, milites conducit, ac Northumbriæ Provinciam ingreditur, in qua Perkinus, assumpto Richardi IV. nomine, adversus Henricum VII. impudens edictum publicari jubet, in quo Regem, constituto in ejus necem pretio, tyrannum proclamat, & ampla



ampla per præconem præmia promittit, quæ illis, qui ad Henricum solio deturbandum operam jungent, darentur, cunctisque ab ejus obsequio deficientibus plenam præteritorum oblivionem pollicetur. Verum Perkinii consiliis, atque expectationi eventus abluit, cum enim Angliæ nationi innatum cum Scotis bellum esset, Angli viro non nisi inveteratorum hostium suorum potentia suffulto studia sua devovere abhorrebant. Henricus quoque rebus suis intentus, commercii libertatem cum Flandris innovavit, pacemque cum Archiduce pepigit, ea lege, ut rebellibus nullo pacto auxilium præstaret.

### §. CXXXVIII.

#### *Corisopotanæ Provinciæ seditio.*

Hæc dum geruntur, in Corisopotana Provincia seditio conflatur, vel eo nomine maxime periculosa, quod Henricus, ut eam sedaret, copias suas distrahere compelleretur. Huic seditioni occasionem præbuit subsidiorum lex a Senatu sancita; hæc enim a deputatis tanta severitate, ac rigore exigebantur, ut plusquam viginti rusticorum millia arma caperent, suæque factioni Andleyum Nobilem Anglum præficerent. Hicquidem



Sæcul. XV.

A.C. 1497.

dem primæ nobilitatis Vir erat, cum vero regiminis normam indignaretur, ad quævis audenda proclivem fovebat animum, dummodo conditionem suam meliorem reddere posset; cetera gregarii militis partes egregie explebat, ast ad exercitus imperium parum idoneus erat. Nihilominus seditiosi sub auspiciis hujus Belliducis recens nati Sarisberiam, & Viaconiam pervagantur, demumque Cantii Provinciam invadunt, ubi tamen omnino incolarum neminem ad sua signa trahere valebant; sinistro hoc successu nonnulli animum despondentes, ad sua reversi sunt: Ceteri vero, cum eorum audaciam acueret ipsa Regis cunctatio, qua impune tantum itineris spacium emetiri permittebantur, Elthamum inter, & Grenwicum castra nonnisi aliquot leucarum intervallo Londino diffita metati sunt, spe freti, se hac urbe potituros.

§. CXXXIX.

*Black-heatense prælium Henrici VII.  
cum rebellibus.*

*Polyd. Virg.  
hist. Anglic.  
lib. 26.*

*Bacon. hist.  
Regni Hen-  
rici VII.*

Inquietissimus vigilum curarum turbo uno quasi agmine Henrici animo circumsonabat, hinc exterum bellum, illinc seditio, ac Competitoris molimina, magni timoris argumenta concursabant, ni-  
hilo-



hilominus tamen tot malorum concurr- Sæcul. XV.  
sus pristinam Henrici constantiam, fir- A.C 1497.  
mumque illius animum mutare haud  
valebat; ipse enim paratum in ca-  
stris habebat exercitum, ac Surre-  
giæ Comitem cum valido agmine  
ad Scotiæ fines præcedere jubebat,  
ut Jacobo Regi forte alteram in Angliæ  
terras irruptionem tentaturo obfisteret;  
cumque Rex seditiosos jamjam Londinum  
cumque penetrasse comperisset, in tria  
usque penetrasse comperisset, in tria  
agmina reliquas copias, ac imperii curas  
hunc in modum partitur: præprimis O-  
xonienfi, Esexienfi, & Suffolciensî Comi-  
tibus mandat, ut primo agmine montem  
omni ex parte circumdent, excepta illa  
regione, quæ Londinum respicit; ibi enim  
supremus Cubiculariorum Præfectus, qui  
secundæ aciei imperabat, rebelles adori-  
retur; ipse vero Henricus tertio agmi-  
ne mediam Londinum inter & montem  
stationem occupabat, ut urbem tuere-  
tur, copias suas firmaret, ac opportuno  
auxilio obviis quibusvis casibus præsto  
esset. Solertiæ secundus collusit even-  
tus, quippe vigesima secunda Junii An-  
no millesimo quadringentesimo nona-  
gesimo septimo die Sabbati prælium ini-  
tur; vix spacio aciem instruendi hosti-  
bus relicto; unde altero impetu rebel-  
lium ordines perfringuntur, cunctique  
præci-



Sæcul. XV. præcipiti fuga sese proripiunt, duobus  
A.C. 1497. millibus (sex enim exercitus constabat)  
 desideratis, ceteris vero captis, quos inter tres rebellium principes extremo supplicio condemnati sunt, reliquis vero Henricus vitæ gratiam concessit, considerans, inquit Franciscus Baco, plurimum differre inter seditionem paupertatis necessitate extortam, ac rebellionem ab indole in tumultus nata concitatam.

## §. CXL.

*Nuptiæ inter Regis Angliæ Filium  
 & Catharinam Arragoniam  
 firmatæ.*

*Bacon. hist.  
 Regni Henrici VII.*

Paucis post Blac - heathense prælium diebus Archiducis Oratores Londini pacta firmabant, quibus nupero commercii foedere accuratius exposito, Archidux juri cedebat, quo antea pro quolibet Anglici panni texto in ejus ditiones invehendo unius floreni vestigal exigebat. Præterea die decima octava Junii Henricus rata habuit nuptiarum pacta Arturi filii sui natu majoris cum Catharina de Arragonia. Hoc connubium jam Anno millesimo quadringentesimo nonagesimo primo decretum, tandem quin-



to ex post anno die prima Octobris firmatum est, eo quidem tempore, quo Carolus VIII. in Angliam Legationem decernebat, ut pax Stapulensis stabiliretur, sicque quædam concordie violationes ultro citroque commissæ repararentur. Interim Henrico Corisopotanæ seditioni penitus extinguendæ intento, Rex Scotiæ alteram in Angliæ regnum irruptionem tentat, urbemque Norhamensem obsidione premit, quam tamen ad primos Surregiæ Comitis occursum solvens, ad regnum suum reversus est.

Sæcul. XV.

A. C. 1497.

## §. CXLI.

*Pax Scotos inter & Anglos.*

Cum vero Scotiæ bellum Henrico permolestum esset, in pacis consilio operam quærere cæpit, atque Petrum de Ayala Hispanicum apud Angliæ Regem legatum idoneum rei gerendæ Ministrum selegit, nec hunc præ reliquis delegisse, Henricum poenituit: Petrus enim in Scotiam delatus, Regem eo induxit, ut prius honorifice Perkinum valere jubere-  
Bucan. hist. rer. Scot.  
 ret, ac demum de pace ageret, ne forte ementitus ille Eboracensis Dux foederis consilia everteret. Ergo Oratores Aytonii conveniunt, ibidemque primo septem annorum inducias decernunt, a  
 vige-



Sæc. XV. vigesima nona Septembris die, qua pa-  
A.C. 1497. cis foedus utrinque firmatum est, com-  
 putandas.

## §. CXLII.

*Perkinus in Hiberniam, inde in Angliam  
 reversus.*

Perkinus a Scotiæ Rege valere iussus, unacum Comitissa conjuge sua, famulis, omnibusque Scotis, quos ad partes suas pertrahere poterat, navem conscendit, ac versus Hiberniam plenis navigavit velis, ventoque secundo usus, ad portum adpulsus est, nemine suorum excensionem oblucente. Primo hoc blandientis fortunæ successu de meliori sorte confusus, veterum suorum amicorum studia denuo accendere, novos sibi conciliare, cunctaque ad Anglicam expeditionem parare adlaborabat. Vix Corisopotum de Perkini adventu in Hiberniam rumor pervasit, cum illico seditio recrudesceret; unde Perkinus factis velis sese rebellibus adungere festinat, horum tribus millibus ad ejus vexilla convolantibus. His suppetiis auctus Exoniam contendit, urbem cingit, atque ad deditionem provocat; verum ei a civibus in responsis datum, se nullum alium præter Henricum Regem venerari, mor-



mortemque potius oppetere paratos, Sæcul. XV.  
A.C. 1497.  
quam ab ejus fide deficere. Rex Angliæ, intellecto Perkinii adventu, atque Exoniensi obsidione, hostem suum intra regni viscera grassari obstupuit. Ergo quantocius copias suas longo ordine litora obsidere jubet, ut redituro maris transitum interciperet. Nobiles mox conscensis equis, collectisque, quot quot poterant, militibus, Cubiculariorum Præfecto, qui Exoniensibus in auxilium accurrerat, sese adjungunt, ac eorum primus Buckinghamiæ Dux prope urbem advenit, quem paulo post ipse Rex secutus est. At Perkinus Anglorum occursum præstolari haud consultum ratus, obsidione soluta cum septem millibus suorum Tauntonium sese recepit.

## §. CXLIII.

*Philippi Callimachi obitus.*

Hoc anno inter viros scientiarum laude claros solus Philippus Callimachus, celebris Historicus, Poeta, & Orator, vivis ereptus est: obitus sui diem ad primam Novembris anni præcedentis nonnulli Scriptores revocant. Fuit is natus in quodam, quod Sangem inianum vocatur, Etruriæ oppido, unde, cum hæc urbs in Florentinorum ditone sita esset, *Hist. Eccles. Tom. XXXI.* O - etiam

*Michov. l. 4. c. 78.*  
*Crom. l. 30. Volateran.*  
*lib. 7. Paul. Jov. elog. c. 41.*



Sæcul. XV.  
A. C. 1497.

etiam Florentinus a nonnullis dictus reperitur, nomen tamen suum mutabat, pro more complurium Italiæ Doctorum, qui quoddam literatorum collegium condentes, ut a ceteris distinguerentur, peregrina adoptabant nomina; Paterna enim origine Geminianus nuncupabatur, postea vero Callimachus, nomine a Græcis mutuato, appellari consuevit. Verum rei hujus novitatem singulari, nimioque studio exquisitam Paulus II. sibi suspectam habebat, facile sibi persuadens, sub obtentu humaniores excolendi literas in academicis horum Doctorum conventibus exponi quæstiones tam status tranquillitati, quam Religionis integritati perniciosas; quare ejusmodi academiam diutius sustinere, haud consultum ratus, cuncta illius membra dissipavit, ac severius habuit: Unde Callimachus ex Italia secedens, ad Casimirum Poloniæ Regem se contulit, qui tum in Pontificem parum propensus erat, eo quod is in regni Bohemici controversia Matthiæ Hungariæ Regi faveret contra Wladislaum ipsius Casimiri filium. Ab eodem Rege Callimachus Moderator regis liberis datus, tanta crevit auctoritate sub Joanne Alberto Filio, & Successore Casimiri, ut ejus nutu pene cuncta gererentur: qua re ingentem sibi invi-



invidiam apud Polonos conflagabat, ægre ferentes, virum exterum, ac patria exulem indigenis præferri. Nihilominus, Michovio teste, placide Cracoviæ mortuus, amplo funere honestatus est: Ejus tamen obitum Vilmæ in exilio contigisse, Paulus Jovius refert.

Sæcul. XV.  
A C 1497.

Scriptit Callimachus plures historias, nimirum illam de gestis Attilæ, tres libros de bellis Ladislai Poloniæ, & Hungariæ Regis, in Varnensi prælio occisi, necnon ipsius pugnæ historiam; item tractatum de his, quæ Veneti tentarunt, at Persas & Tartaros contra Turcas excitarent; Orationem de bello Turcis inferendo: Præter hæc opera inter epistolas Angeli Politiani quædam etiam a Callimacho scripta reperitur. Paulus Jovius hujus Viri opera Taciti scriptis æquiparat: Platina vero de Callimachi ingenio, corporis habitudine, ejusque facultatibus differens, eumque minime conjurationis in Paulum Papam reum esse demonstrans, *crederem, inquit, Callimachum nihil tale unquam moliturum, necdum meditatatum fuisse, quod consilio, lingua, manu, sollicitudine, opibus, copiis, clientelis, armis, pecuniis, oculis postremo careret.* Cæculus enim erat, & profequitur idem Platina, P. Lentulo somniculosior,

*Trithem. de  
Script. eccl.  
Platin. in  
Paul. II.*

*opus 11  
ab. 1100  
1100  
1111*





Sæcul. XV. A.C. 1497. *culosior, ac L. Crasso ob adipem tardior, eratque nec lingua nec manu promptus. E-*  
*quidem hæc Platinæ descriptio satis ab-*  
*jecta Virum non indigitat ingenii acie*  
*præditum, ac eruditione excultum, qua-*  
*lis tamen Callimachus audit.*

## §. CXLIV.

*Carolus VIII. Lugduno San-Dionysium, inde Lugdunum reversus.*

*La vigne  
 Journ. du  
 voyage de  
 Charles  
 VIII.*

**C**arolus VIII. toto abhinc tempore, quo in Gallias reversus erat, Lugduni hærens, unice in eo erat, ut voluptatibus indulgeret, tandem vero relicta hac urbe, ad Ecclesiam S. Dionysii se contulit, Deo grates repensurus: nec tamen Lutetiam Parisiorum venire dignatus est, ut absentia sua cives plecteret, qui proxime in Italiam eunti centum millia librarum suppeditare recusabant. Hac peregrinatione expleta Lugdunum redux, convocavit Senatum, ubi tam salubria cepit consilia, quæ si ad exitum deducere intentus fuisset, Gallicæ Monarchiæ gloriam sartam, tectamque conservasset: Trivulcio enim negotium dedit, Astam relinqueret, atque intimius in Italiam irumperet, facta fide, validas eidem suppeditas



petias submittendas, ac protinus Aureliæ Sæcul. XV. A. C. 1497.  
 Ducem, demum paulo post ipsum Regem fore secuturos: Verum Briffone-  
 tus Cardinalis hæc consilia, ne execu-  
 tioni darentur, præpedivit, pecuniis ad  
 conducendos milites necessariis aut sibi  
 vendicatis, aut ad alios usus conversis.

## §. CXLV.

*Calumniæ in Aureliæ Ducem, ejus-  
 que fuga Blessum versus.*

Rex igitur mutata sententia tantum ab-  
 fuit, ut ipsemet exercitum suum in a-  
 ciem educeret, quin potius otiosus etiam  
 Lutetiam Parisiorum re infecta rediret.  
 Tam subitæ mutationis causa adscribe-  
 batur amor erga nobilem quamdam fœ-  
 minam, quæ a servitiis erat Reginae,  
 cum hæc uterum ferret, prout etiam sub  
 idem tempus enixa est Delphinum, qui  
 tamen paucis post diebus mortalitatem  
 exiit. Hujus fati occasionem Aureliæ Du-  
 cis hostes in rem suam vortere molieban-  
 tur, suggerentes, Aurellanensem perversis  
 saltem artibus suis accelerasse trium filio-  
 rum mortem, quos Regina in lucem edi-  
 disse, nullus vero eorum vita superstes  
 esset. In hujus calumniæ argumentum  
 iidem adducebant, quod solus Dux, tota  
 aula



Sæcul. XV. aula in luctum effusa, lætum, serenum-  
A. C. 1497. que animum præsetuliffet. Dux insi-  
 dias, quæ sibi apud Regem struerentur,  
 edoctus, prudenter hostium suorum la-  
 queos declinare studebat, atque ad Blesen-  
 se castrum suum ultroneo exilio sese re-  
 epiens, privati hominis vitam transegit,  
 nullumque officiosæ salutationis genus  
 admittens, nonnisi venationis voluptati-  
 bus indulfit, solidosque dies hisce  
 illecebris sacrauit.



HISTO.